PANOPLIA ECCLESIÆ DEI,

SEU

BREVE ARMAMENTARIUM

Pro Defensione S. Fidei Catholicæ, ac expugnatione hostilis Sectæ Acatholicæ,
sexcentis telis instructum.
ac
pro commodo zelantium, præsertim, contra ævi nostri hæreses,
Publico usui & luci

EXPOSITUM.

Ab

A. R. P. F. ANTONIO WĘGRZYNOVIO,
Ord: Min: S. P. FRANCISCI, Strictioris Observantiæ Reformatorum, Provinciæ Min: Poloniæ, ex bino Ministeriatu Provinciali, Patre, Lectore Theologo, sex voluminũ in sparta Concionatoria, olim vulgatorum, Authore Celebratissimo.
Post ejusdem pia Fata

TYPO DONATUM

à Fratribus Minoribus Reformatis præfatæ Provinciæ Minoris Poloniæ

Anno Domini 1728.

CRACOVIÆ, Typis ACADEMICIS.

IN STEMMA PERILLUSTRIS & REVERENDISSIMI D. WODZICKI.



Ut mala, ſemper amant umbras mendacia
tetras.
Veridicus, liber venit ad aſtra liber.
Clarius ut doceat, clariſſima lumina poſcit.
Hæc Tua WODZICKI Sydera bina da-
bunt.

PERILLUSTRI
REVERENDISSIMO D.
D. MICHAELI
DE GRANOW
WODZICKI,
CANONICO CATHEDRALI,
VICARIO in Spiritualibus,
&
OFFICIALI GENERALI
CRACOVIENSI,
CUSTODI VISLICIENSI,
CANONICO SANDOMIRIENSI,
PRÆPOSITO LIBICENSI.
Domino & Mæcenati
MUNIFICENTISSIMO.

L*Vgebat hactenùs in fatali conticinio, ponè emortua cum Magno Parente Soboles, cum suo Achille Panoplia Militantis Ecclesia, donec ad meliores auras* Tuo *animaretur spiritu, ad emerita lucis usuram,* Tuo *sub Astro processisset.* Perillustris & Reverendissime Domine.

Jam grandævus meritis, & canâ nive Sacer, Panopliæ Theologicæ Inventor, (quem nos operis fronti, cordi Tu olim impresseras) clypeatam segetem suam eduxit in campum, nondùm tamen adultam vidit in sepia, cùm in æternam clausit lumina noctem. Armaturam fortium longo politam studio dedit Orbi Catholico, quin tamen invenisset nobilem tholum cui appenderet: manum, quâ primùm ad publicos usus probaretur. Occurristi unicus porrecta manu. Manu! quæ cæli thesaurus, & Arca Tonantis, æternùm scribi commeruit. Manu! quæ & functi Authoris vota ad immortalitatem attollit, & viventem Tuo Magno Nomini Provinciam nostram erigit in solatia. Et cui nam dextræ beatiùs hæc Sacra Panoplia concederet? præter hanc, quæ & Michaelis libram ab infante gestat, ut operis dignoscat pondus, & Generalis in Cracoviensi Diœcesi Jurium Arbitri fovet stateram, ut pretium adjudicet & decernat. Non citra spem auxiliaria æra Luna Tuæ, nostræ concinunt Panopliæ. Expeditior illa contra Martem prodibit hæreticum, cui Gentile Sydus pro acumine & Grande ortmis in Orbe triumphis Nomen dabis pro tessera.

Hono-

Honoratâ veritatis lucem, vel à Nobilissima Lucina Tua deposcere, si religio nobis est? non umbratile accendit argumentum. In Domo Luna, qua sola eniti novit Astra, Principes ortus aspexisti, & inter lustrales ritus, MICHAELIS *titulos cum omine exceperas. Vix natus ad Magni Sanguinis desideria, illo censeri Nomine amasti, quod prima pro Numine bella trophais de Stygia haresi dedicavit. Fidei olim Catholica futurus Achilles, ipsum Calestis Militia Archi-strategum secutus es accepto Nomine, datâ fide. Et suspexit hac in Te nondum pubere vaticinia Magnorum Progenitorum augur oculus, Orbique in Urbe spectanda proposuit. Eventu non alio, ac quem & domestica vota meritò divinari, & publica nunc omnium encomia justiùs possunt gratulari. Acuisti primam ingenij aciem, ad Quirinalem Petram, non diu posthâc cum Maximis de meliori certaturus. Eruditas fronti tua laurus, intexuit Parens triumphorum Roma, ut Infulis praluderet & Coronis. Mirata brevi, Mytrata Vavelli mentes & exinde venustissimum Tui Veris Florem, jam suis inseruêre Vittis. Libravit Magnus ingeniorum Arbiter,* Celsissimus PRINCEPS,

CASIMIRUS ŁUBIENSKI, Episcopus Cracoviensis, & *vidit manum Tuam Patritio Suo Ensi parem, vasti Capitis sui pectus capacissimum. Pugnavit ille pro Divûm honore, libertatem Ecclesiæ vindicavit, agebat extorrem hæresim*, Tu Reverendissime Domine, Armiger Ducis eras. *Tanti Capitis Tu mens amica, tanti Pectoris Tu Corculum audiisti. Quoties Ille suos Tecum partitus labores? divisum quoties fecit Imperium? Quoties ingentes curas, negotiorum pondus, in Tuam reposuit lancem, agnovit vicinum Herculem sibi Atlanti. Adeò, ut cum etiam Supremo Christianitatis Capiti, Maximo Sacrorum Pontifici* CLEMENTI XI. *sisti decrevisset, in Te Liliatum Os, & Personam suam refuderit, quia se alterum in Te recognovit. Visisti Romana Capitolia alter* ŁUBIENIUS, & *quodcunque Magnum, quodcunque Grande, quodcunquè Sacrum Ille fuit, in Te venustiùs exhibueras.* ALBANIS *gratiosè admotus Aris & Astris, ceu eorum Parelion, oculos & respectus* CLEMENTIS *Papæ, ad invidiam spectantium in Te convertisti. Flexisti devotum genu Sacrato Apostolico Solio, & aures in pedibus, laudes in ore*

gra

gratias in corde PRO-CHRISTI inveneras. Tanto pondere rerum, tantâ gravitate suada incubuisti commissa Tibi sparta, ut Montes ad Te flecteres CLEMENTINOS. Fluxerunt illi etiam à facie Tua sicut cera, ut in gloria Tua Lumen flammescerent, & in votiva præmia se se effunderent. Characterem Legati â suo Principe, legerunt in Te, & Purpureo notarunt Stylo Romanæ Eminentiæ, immortali typo Vaticana Aula dedicavit, dum oracula Ducis Eloquiò crevêre Tuo nec digniùs unquàm Majestas meminit sese Romana locutam. Ita non sine gloriæ censu, secundùm redux in Poloniam, quiescere non sinis Patritiam Lunam in cursu emeriti honoris, qui vel fugientem, ceu umbra sequitur & vestigat. Nimirùm quicunq; se Tibi devovit honos, in auge stetit meliori. Novit geminata jam Supremi Poloniæ Areopagi dignitas in Tuos devoluta lacertos, quàm gloriosè foveras Ensem Justitiæ, quem nec infamis habendi fames arrosit, nec acris livor unquam hebetavit. Aureum ex toto Judicem Sacra Themis adoravit, pretiumq; meritæ est è Tua manu. quæ

fluvios æquabat Iberos
Aurea dona vomens: *sive equi*

dem pauperum suspirijs, sivè innocentum depressa sorti, Gazas Tuas non aspexit catenatas. Ita & ore sententioso Justitiam, & are miserias pupillorum, utrumq; Sanctè, noveras sublevare. Didicit Coronata Peraugusti Cracoviensis Capituli Majestas, virtutis ac mentis Tua robur, cui quoties cum negotiorum mole incubuit, Atlantem comprobavit, quem non pramia tantùm quam labor ipse juvat. Enimverò, qua pretiosa in humanis censetur felicitas, eundem sibi constare semper Virum, remonstrat in Te Celsissimus Princeps CONSTANTINUS FELICIANUS SZANIAWSKI, *Cracoviensium Antistitum Supremus Apex. Cujus Magnum Nomen pro omine, & oraculum par toti Regno, pro Tripode est. Primos Ille ad Cathedram suam gressus non aliter dedicavit, nisi è vestigio, cumulatissimâ honoris auxesi Tua merita consecrasset. Jure levat Gentilitij sui* AGNI *Pedem, unoque subsistit, Te curarum suarum molem sustentante.* Dux *Ille cum Jure gladij, dùm sibi Tyaram, dignumque Coronis servat Caput, Tibi Ancile Sacrorum Jurium compartitur. Episcopus Ille, Tu votô Magni Prasulis Vicarius in Spiritualibus, & Officialis Generalis.*

lis.

lis. Sol Diœcesani Universi, divisit inter se & Gentilitiam Tuam Hecaten Officia, non tam natura, quam Tuarum dotum jure convincente. Non quæsitam hanc à Celsissimo Principe gloriam, probant Superi, subscribunt Diœcesis vota Cleri plausus, pupillorum solatia, quorum ridere facis lacrimas,

Tamq; rei damno, quàm reꝰ ipse doles.

Arescit sæpiùs Iustitiæ virga in Tutrice dextra! in Tuis manibus perpetuo revirescet ævo, quas nunquam adussit habendi amor, vel nocendi. Limpidam semper, omnique munere nudam, cœlo porrigis manum, nusquam pauperior quam Tuus integer. Adeò ut Judiciarÿs tuis non aliud Lemma scribatur tholis, ac illud

Nec prece, nec pretio, nec fraude, nec arte, nec astu,

Prostitit hôc unquam vendita caussa foro.

Quid de Te pluribus dissereret emerita fama! dum tam comem facundiam, tam facundam potentiam, tam potentem rerum expeditionem, tam expeditum consilium, tam consultam ad feliciter quæque decidenda, in Te adorat facultatem. Quid si in cumulum redigeret, affines Tyaris etiam

tiam

tiam detes Tuas? placidissimum ad omnes genium, innubem modestiam, pietatis dignationem, culturam mentis & cordis, Janium peritiam, sublimem rerum experientiam; & quæq; sacra, quæq; summa in Te beatiùs collecta, facundiæ vim hac superant, & verborum aciem detriumphant, eò maximè, quòd non uno dignus Tullio, amas Tacitos. Per ora Principum, Senatorumq; laudatus, tamen pro ingenio pulchræ submissionis

Strepitus fastidis inanes,
Inq; animis hominum pompâ meliore triumphans.

At quantùm sua consuleret modestia, vel tenuitas nostra scribere jubet non parvam laudum periodum Tuis virtutibus, Par Nobile Fratrum Tibi Germanorum, Perillustres Magnifici Domini, CASIMIRUS Pincerna Varfaviensis, & PETRUS Pincerna Cracoviensis, S. R. M. Colonellus WODZICCI. *Æquati Nobilissimo Tecum Sanguine, non dispares gloriâ, quam alter Catonicâ gravitate, recti amore, maturâ semper pietate meretur. Altior titulo, intra modestiæ umbellam, Sacros æternitati dies agit. Licitati sub Principis Nomine, Princeps, Flos*

Do-

Domûs, Coronas Divinæ humanæq; gloriæ auspicatur, illas ut virtutum pretio faciat suas, has ut generoso, Magnisq; germano mentibus contemptu irritet. Quasi Julij II. inter Maximos adlecti Pontifices, amicam in adolescentia tesseram combibisset, vinculis conjugij non patitur cursum impedire stellarum ipse Magnorum Parentum Soboles prima, ipse nepotum Summa est, & Universale quoddam gloriæ, extra singularia. Alter solida Gentilitij honoris Petra, & grave fundamentum. Recudit PETRI Nomen in auguria, Claviger & ille! cœli, quod auro: honoris, quem ferro didicit aperire. Admiscet Patritio Sangvini Purpuram, emenso non semel pro salute Patriæ hostili Rubicone, quo olim & Gallicos tinxit Flores. Pulchrum ver ætatis inter Magni LUDOVICI Regis Lilia, non unâ maturatum gloriá, cum sexcento fructu devexit Patrijs Solibus nec hyemem novit, quæ bellicos suos ardores temperaret. Nondum attrita edaci senio, trophæorum suorum vestigia legit Polonus Orbis, & posteris tradit memoranda. Conclusum non semel foret salutis Patriæ negotium intra angustias, nisi ense suo viam aperiret. Serperet bostile ferrum per colla depressæ gentis, nisi ad Petram hanc aciem offendisset. Exoticæ Militiæ pridem jam Colonellus, & diu Colonus mes-

messis laureata, dum non aliter militares ducit Manipulos, quàm in acervum triumphorum. Palatinatûs Cracoviensis Pincerna, omnibus Coindigenis ad palatum est & delicias, quas ut acuat, condit ipso candore animi, ipsâ comitatis placidissimæ ambrosiâ indulcorat. Paratorum sublimibus meritis præmiorum illex, non aliter tamen eorum cupidus, quam ut expectatione sapiant longiùs. At non tantùm ille in Personam suam tot invehit laureas, tot Panegyrica excipit oracula. Videt & applaudit Orbis, quot Principes Mytras, quot Senatorum Purpuras, quot demq; trabeas, avito faederavit Sangvini. Quot Illustrissimas Domus, citra Xenophanis errorem in suæ Gentilitiæ Lunæ *concavo situavit. Alluunt postes Vestros pretiosi* LUBOMIRSCIORUM Srzeniawæ, *metum honorariam attingunt per affinitatem lineam,* SAPIEHARUM Sagittæ, *maritant se* DUBRAWSCIORUM Sydera, *attollunt in altũ, Virginea* DĘBINSCIORUM *manus cælo affines.* GRABINSCIORUM Caput *placidè se acclinat,* LIPSCIORUM Rastra *non unam gloria messem aggregant.* USTRZYCCIORUM Gladius *militat ad honores. Illa verò trabeata caterva (præter aliam colligatorum Vobis Nominum,* PRZEREMBSCIORUM, RUPNIEWSCIORUM, TĘGOBORSCIORUM, &c. *phalangem:) venit in Gentilitiæ decora Duce* PETRO. *Utinam Ille, divisi in plures heredes Sangvine, & tota*

Lechi-

Lechicæ Nobilitatis castra Domui suæ faciat militare. Nec peregrina hæc Tuo Reverendissime Domine Nomini *gloria est, quæ Fraterna, scilicet cum tanto nexu Trias Vestra se adunet, ut in Vobis etiam Divinum quoddam sit Mysterium Trinitatis. Unitas animorum Vestrorum, vix cuiquam Domui secunda est. Virtutum concordia fortunarum commercium, pietatis identitas, perfectam in* Trino *commendat unitatem. Et vel hæc ipsa æternaturæ gloriæ suæ prodromus est, quàm dum toti Perillustri Domui* Tuæ *à Superis deposcimus pro obligatæ mentis officio, excipe solus pro cunctis, votorum nostrorum arrham, impar beneficentiæ Tuæ anathema, gratitudinis victimam, quam Tuis appendimus Aris. Militet votis Tuis* PANOPLIA ECCLESIÆ DEI, *& sub tam Grandi Patrocinio, triumphet de Capitibus quæ petit ac impetit. Superi verò dexteram* Tuam, *quâ minimæ Religionis nostræ preces excipis, & donum tenue complecteris, aptent summis honoribus, conservent sæculis, æternitatis exornent annulo. Hoc juge desiderium Provinciæ Nostræ, hoc votum eorum, qui plantis affundimur Tuis*

REVERENDISSIMÆ SUÆ DOMINATIONIS

Devotissimi Servi & indigni Exoratores

Fratres Minores Strict. Observ: Reformati Prov: Min: Polon.

FACULTAS
REVERENDISSIMI PATRIS MINISTRI GENERALIS.

Fr: Matthæus à Pareta Lector Iubilatus SS. Congregationum Indicis ac Rituum Consultor, Supremæ & Vniversalis Inquisitionis Qualificator, ac totius Ordinis Minorum S. P. FRANCISCI Minister Generalis, & Servus.

Dilecto Nobis in CHRISTO Reverendo Patri CÆLESTINO CHEDEROWSCIO, *Reformatæ Nostræ Provinciæ Poloniæ Minoris, Ministro Provinciali, Salutem & Seraphicam Benedictionem.*

CUm juxta Apostolicas, Nostriq; Ordinis Constitutiones per indoneos Censores, revisum & approbatum fuerit opus, à bonæ memoriæ R. P. ANTONIO WĘGRZYNOVIO Præfatæ Provinciæ bis ExMinistro, Lectore Emerito, ac Cōcionatore compositum, cujus Titulus est PANOPLIA ECCLESIÆ DEI. Tenore præsentium ad salutaris Obedientiæ meritum facultatem impartimur, prædicto R. P. Ministro Provinciali, quatenus servatis servandis illud Typis mandare possit & valeat. Datum Romæ 9. Augusti. 1727.

Fr: Matthæus à Pareta Minister Generalis.
De Mandato Reverendißimæ Paternitatis.

Fr: Franciscus Anton: Mæ Spinelli Secretarius Generalis.

Opu-

Opusculum Controversisticum sub titulo PANOPLIA ECCLESIÆ DEI &c. operâ maturoq; in provecta jam ætate judicio A. R. Patris ANTONII WEGRZYNOVII Ordinis Minorum Reformatorum Provinciæ S. MARIÆ Angelorum in Minori Polonia Patris, S. Theologiæ Lectoris, & Prædicatoris Emeriti, ac in antecessum tot Voluminum Concionatorum typo vulgatorum indefessi Authoris, contra antiquiores & recentes Novatores Dissidentium, concinnatum, sedulo, nam de Superiorum Obedientia legi, & trutinavi. Quod cùm nihil contra fidem Catholicam, aut probos mores, sed totum pro fide eadem, & moribus, vitaq; secundum veræ fidei documenta accómodandis contineat; ut prælio Sacro cum Acatholicis instituendo plerisque per oportunum prelo typographico mandandum dignum judico, & censeo. Dabam in Conventu Nostro Vielicensi ad S. FRANCISCUM, die 20. Aprilis, 1720.

Fr. AVGVSTINVS STANIEVVSCIVS, Ejusdem Ord: & Prov: Pater, & olim S. Theo Lector, Gvardianus Vielicensis, mppr.

DE mandato Superiorum meorum perlustravi attenta mente Librum Controversiarum cui Titulus: PANOPLIA ECCLESIÆ DEI. Opera A. R. Patris Antonij Węgrzynovij, *Ord. Min. Reform. Provinciæ* S. MARIÆ Angelorum, *in Minori Polonia ex bino Provincialatu Patris, S. Th. Lectoris ac Prædicatoris dignissimi nec non plurium Voluminum antea impressorum vilissimi Authoris, in qua* PANOPLIA, *velut in armamentario mille pendent Clypei, & omnis armatura fortium contra omnium Sectariorum dogmata accomoda, quam ut pote conformem Orthodoxæ Fidei, bonisq; moribus, publica luce judico esse dignam. Dabam Cracoviæ in Conventu Nostro ad S.* CASIMIRUM, *die 7. Iulij, Anno Domini 1720.*

Fr: RUPERTUS VCHACZ Ejusdem Ordinis & Provinciæ Diffinitor S. Th. Lector Actualis, mpp.

OPus, cui titulus: PANOPLIA ECCLESIÆ DEI, &c. ab Adm. olim R. P. F. ANTONIO WĘGRZYNOVIO, Ord: Min. S. FRANCISCI Strictioris Observantiæ Reformatorum, Provinciæ Minoris Poloniæ, ex bino Ministeriatu Provinciali Patre, Lectore Theologo &c. vitæ innocentia, & doctrinâ conspicuo, erudito labore concinnatum, attente revisum & lectum, nihilq; moribus bonis & orthodoxæ Fidei dissonum continens, imò ejusdem veritatem nervosè propugnans approbo, & ut imprimi, & in publicum prodire possit dignum censeo, & do facultatem. Cracoviæ in Collegio Majori, A. D. 1728. Ipsis Nonis Julij.

M. MARTINUS WALESZYNSKI S. Th. Doctor & Professor, Collega Major, S. Floriani ad Cracoviam, Scarbimiriensis & S. Michalis in Arce Crac. Custoc, Cancellarius Lenciciensis, Premycoviensis & Montis S. Georgij in Scepusio Præpositus, Studij Generalis Universitatis Cracoviensis Procancellarius, Librorum per Diœcesim Crac. Ordinarius Censor.

mpp.

PARS PRIMA PROOEMIALIS,

CAPUT I.

An liceat disputare cum Hæreticis, cui, & quomodò?

R. Attendenda sunt hæc ex parte disputantis ut ordinat Ius Canon: C. Quicunq; § Inhibemus de Hæret: in 6. sub Excommunicatione ferenda, Laicis disputare de fide: quòd Cajetanus intelligit nonnisi de formali disputatione, non autem de materiali sc: de simplici instructione. Imò Valentia putat in Provincijs ubi sunt permixti Hæretici cum Catholicis hoc præceptum abrogatum esse; Commune tamen habetur graviter peccare rudes sic disputantes, cum periculo exponant se & fidem & proximos talia audientes. Ex parte verò Audientium cavendum est nè temerè coram simplicibus de fide in quamcunq; partem disputetur: tales enim possent non tam clarè percipere ad Objecta solutiones; & sic dubitare de fide. Excipe tamen rudes illos, quos contingeret ab Hæreticis sollicitari: tales enim breviter & animosè respondere debent sollicitanti se, cum rudes sint, se credere quod Ecclesia credit & docet. Modus autem, disputandi cum Hæreticis esse debet cum summa modestia, abstinendo ab omni illo quod bilem commovet; imò sarcasmi si contingant ab Adversarijs æquanimiter tolerandi, ut sic appareat, nos non cupiditate victoriæ, sed solius veri-

tatis indagandæ gratiâ certamen illud inivisse. Pertinaces autem sectarij præsertim multum loquaces brevibus sed convictivis stringendi sunt modis, quales dabit, 3tia Pars Opusculi hujus. Ab experientia, aliqua observanda cum talibus. 1mò Ut hæc fiant non inter mensas & pocula, qualis usus Aularum est, Nam opus Spiritûs Sancti est, ejusq; gratiâ singulari indiget qui proinde præviâ etsi brevi oratione potiùs invocandus, & in silentio mentisq; recessu & non in mensis & inter commensales humiliter implorandus. 2dò Suadeo ut solus cùm solo, si aliter non urget negotium concertes; fit etenim quandòq; quod ob erubescentiam adstantium convictus etiam Sectarius neget & tergiversetur agnoscere veritatem, quam alias fassus fuisset, si præsentes testes non habuisset. 3tiò Valde attendendum est ut Sectarius discurrat & respondeat semper ad materiam atq; semper in filo, illis enim commune est varijs digressionibus fatigare disputantem veluti fera Venatorem diverticulis, ne tandem capiatur. Undè quocunq; ille evagatus fuerit, redeas cum illo ad priora dicta aut responsa *Vg* dicendo ad mea quæsita vel proposita taliter responsum mihi fuit ultimatè; ad quæ sic respondeo, vel sic in contra urgere volo. Vt autem in promptu habeas, unde depromere possis arma seu argumenta & rationes ad solvenda sive ad probanda, subministrabit illa subsequens.

CAPUT II.

Quæ sunt media probandi Vel tuendi aliquid esse de Fide aut contra?

PRimum & principale medium esse Sacram Scripturam; non tamen solam. Alterum verò præter scripturam esse traditiones. Scilicet doctrinam aliquã

tra-

traditam de manu in manum id eſt ab una ætaté ad aliam à Chriſto & Apoſtolis; quæ quamvis non ſit ſcripta in aliquo libro Canonico, tamen habita eſt ſemper ab Eccleſia pro revelata à Deo. 3tium. Authoritas Eccleſiæ Catholicæ & veræ, quæ eſt in Concilijs Generalibus legitimè congregatis & in ſummo Pontifice. 4tum. Authoritas antiquorum Patrum præſertim unanimis eorum conſenſus. Sectarij verò habent ſuum medium ſcilicet Spiritum privatum dictantem cuiq; hoc eſſe vel non eſſe de fide. Unde ſingula breviter perſtringenda.

Dico 1mò De S. Scriptura Quod etſi ſola illa ſufficiens ſit & principale aſſerendi aliquid de fide argumẽtum non tamen ſemper ſola per ſe ſufficit. Probatur 1mò Ioan: 20 aſſeritur *Non omnia quæ geſſit Christus de ſcripta eſſe quæ ſi ſcriberentur per ſingula, nec ipſum mundum poſſe capere libros, qui ſcribendi eſſent.* Ex quo ſequitur fuiſſe aliqua dicta & facta à Chriſto quæ Eccleſia vera docet (ut infra patebit de Traditione:) quæ tamen non poſſunt doceri ex ſcriptura. Probatur 2dò. Quia eâdem ſcriptura utuntur tot hæreſes & ſibi ipſis & nobis ex adverſo oppoſitæ ſuos probando errores, Si autem ℞. Adverſarius id provenire ex mala intelligentia ſcripturæ Urgeo Quia hoc ipſo oſtendit non eſſe ſolam ſcripturam ſufficientem, quæ & benè & malè intelligi poteſt: Et inſuper docere ille tenebitur aliunde, quod ille ipſe benè intelligat Scripturam, male autem Adverſarius ejus. Probatur 3tiò. Ex quo in varijs editionibus per fraudes & artes Hæreticorum quo ad textum depravata & variata in favorem ſuarum opinionum ſcriptura, quomodo convinceretur Adverſarius per ſcripturam, ſi textus aliter apud me, aliter in Biblijs Hæreticorum docebit. Probatur 4tò. Quia ſcriptura eſt in multis locis obſcura, tum ob tropicas locutiones, ænigmati-

cas, modos varios loquendi, hebraismos hoc tempore jam obsoletos & incompertos saltem vulgaribus; regula autem fidei debet esse clara; Hoc ipsum patet ex illa Eunuchi Act 18. legentis scripturam responsione. *Quomodo possum intelligere nisi aliquis ostenderit mihi* Item de Epistolis nonnullis S. Pauli dixit S. Petrus. 2. Petri ultimo Quod scilicet quædam contineant intellectu difficilia quæ indocti & instabiles depravant. Neque dicas id dici de solis indoctis & instabilibus: Quis enim doctior & stabilior S. Augustino? hic autem l: de fide & operibus disertè fatetur, difficillimum ad intelligendum esse locum illum Pauli. 1. Cor: 3. *Si quis superædificat super fundamentum hoc Aurum argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, Vniuscujusq; opus manifestum erit.* Deindè objice Adversario tuo & ab eo expostula ut solvat tibi non recurrendo ad Patres vel Interpretes scripturæ aliqua obstrusiora loca quomodo sint intelligenda? uti est ille Eccl: 42. *Melior est iniquitas Viri quàm mulier benefaciens.* Gen: 32. *Vidi Dominum facie ad faciem*, & deinde dicitur. Exodi 33. *Non videbit me homo & vivet.* Item Psal: 1. *Non resurgent impij in judicio* Et rursus in oppositum 1. Cor: 15. *Omnes quidem resurgemus.* Hæc & similia loca quomodo ex se dicentur clara siquidem rectè intelligi non possunt, & ut sibi non opponantur, & hoc solvat sinè explicatione alienâ præter scripturam. Unde S. Hieron: in Ep: ad Algesiam Qu: 8. *Epistola omnis ad Romanos obscuritatibus nimijs involuta est.* Et D. August. ad Ianuarium fatetur. *In ipsis Sacris scripturis se nescire multò plura quàm scire.*

Objectio 1ma. Ioan: 5 Mandat Christus ut scrutemur scripturas. Accedit quod norma fidei communiter dicatur scriptura ℞. Ex hoc utroq; non inferri quidpiam contra nostrum assertum. Sed tantummodo

quod

quod aliquando sufficiat sola scriptura pro argumento fidei quando ejus textus est ita clarus ut de illo non litigetur, quod non semper contingit (ut supra dictum) Illa etiam exhortatio Salvatoris non fuit ad omnes fideles, sed tantum ad Seniores & Pontifices Iudæorum circa Adventum Messiæ, qui continebatur annuntiatus in scriptura, ut cujus scripturæ illi doctores erant eam scrutarentur Messiamq; agnoscerent, alijsq; adventum ejus annuntiarent.

Objectio 2da. Psal. 118. Scriptura dicit. *Lucerna pedibus meis Verbum tuum.* Item dicitur scriptura *Lucerna illuminans oculos.* Itaq; scriptura non est obscura ℟. Plus ex Antecedenti non concludi quàm quod aliquando saltem scriptura se solâ sumpta sufficiat pro lucerna fidei; non tamen in omni casu seu contingentia. Si autem Q: cur scripturam voluerit Deus quandoq; esse obscuram ? ℟. S. Thomas 1. P. Q. 1. art: 9. Id voluisse Deum ut fideles tantò studiosius scrutarentur & conarentur intelligere scripturam de sensu ejus consulendo alios & maximè SS. Patres, interpretesq receptos ab Ecclesia. Et deindè ut non facile paterent Sancta canibus; quod ipse præceperat Christus Math: 7. In quo coincidit S. Aug: lib: 2. de doctrina Christiana C. 7.

Dico 2dò Traditiones Ecclesiæ esse admittendas. Probatur 1mò ex Scoto 1. d: 11 Qu: 1. Dixit Christus suis Discipulis Ioan: 16. *Multa alia habeo uobis dicere, sed non potestis modo portare, cum autem uenerit ille Spiritus ueritatis docebit Vos omnem ueritatem.* Ergo Spiritus S. (infert Scotus) aliqua docuit Apostolos quæ non docuit illos Salvator, nec descripta habentur in Evangelio. Ex quo sequitur, quod fuerunt aliquæ doctrinæ quas docuerunt Apostoli edocti à Spiritu S. quæ non sunt descriptæ in Codice Sacro. Atq; sic sequitur quod fuerunt aliqua tempore Apostolorum

pertinentia ad fidem nobis postea tradita, & tradenda per non interruptam successionem. Probatur 2dò. Ad Thes: C. 2. Præcipit Paulus. *Tenete traditiones quas didicistis sivè per sermonem, sivè per epistolam.* In quem locum sic scribit S. Chrysostomus. *Hinc patet quod non omnia per Epistolam tradiderit, sed multa sinè scriptura.* Hoc ipsum confirmatur ex antiquissimo Conc. Nicæno 2do & ex illo 1. Cor: 11. *Cætera cum venero disponam.* 1. Thessal. 3. *Ut suppleam ea quæ desunt Fidei vestræ.* Ex quibus S. Aug: l. 98. probat S Paulum multa docuisse fideles, quæ ipsemet non ad notavit. Cur autem? Stapleton persuadet causam. Quia (inquit) scripta Evangelica & Apostolica erant plerumq; tantum commonitoria brevia fidelium, non autem totius doctrinæ Christianæ institutio. Probatur 3tiò Ex antiquissimorum SS Patrum authoritate. S. Cyprianus 2do statim post Christum sæculo l. 2. ep: 3. scribit Pontifici. *Admonitos nos facias ut in calice offerendo Dominica traditio observetur;* hoc est. Vt calix cum Vino mixto aquâ offeratur. S Basilius l. de Spiritu S. C 17. *Dogmata quæ in Ecclesia prædicantur quædam habemus ex doctrina in scripto prodita, quædam rursùs ex Apostolica traditione in Mysterio tradita recepimus; quorum utraq; parem habent vim ad pietatem.* S Epiphanius hæresi 61. ait *Oportet & traditione uti non enim omnia à Divina scriptura possunt accipi.* S. Hieronim Ep. ad Marcel: *Nos unam Quadragesimam ex Apostolica traditione jeiunamus cognito tempore* S. Aug: Ep: 118. pene iisdem de hoc loquitur verbis.

Probatur 4tò Ratione. Multa sunt de Fide credenda quæ non continentur in scriptura Vg. credimus & nobiscum credunt Hæretici in una Essentia Trinitatem Personarum distinctarum & tamen nomen Personæ sicut & Trinitatis in tota Scriptura non legimus expres-

preſſè. Item credimus Filium eſſe conſubſtantialem, Patri Credimus SS. MARIAM eſſe Matrem DEI & Virginem, & huic oppoſitum tenere damnatum eſt in antiquis Hæreticis contra quos ſcripſerunt S. Hier: Aug: Epiph: & tamen nihil clarè de hoc utroq; habet ſcriptura. Sicut & de illo quod omnes etiam credimus ſcilicet, eſſe de eſſentia Baptiſmi voces illas: Ego te baptizo &c. Deniq; ipſam ſcripturam eſſe à DEO revelatam, ac in ea contineri verbum DEI, & non eſſe quid ab aliquo alio confictum, de his nihil habemus in ſcriptura ſaltem expreſsè, ſed tantùm credimus his, quia nobis ab initio tradita ſunt. Ergò aliqua alia præter S. Scripturam benè probant aliquid eſſe de fide.

Si Sectarius dicat: Scripturam credi non eſſe confictã ſeclusâ vg. traditione, & diſcerni poſſe ſicut nigrum ab albo, eo: quia occurrit illi Majeſtas DEI, intellectuiq; dictat Scripturã non eſſe confictam. Contra: ſi ita eſt cur ergo tot Canonicos Libros etiam ſi fateantur & ipſi illos non eſſe confictos ſed veros, tamen repudiarunt Hæretici? Deinde Quomodò ſcis illum inſtinctum eſſe verè á DEO, non verò ſuggeſtionem dæmonis? Plura habebis infra de Spiritu privato.

Objectio 1ma. Prov: 30. *Ne addas quidquam Verbis illius* ſc: S. Scripturæ, adeoq; Traditiones vg. cùm ſint extra ſcripturam, illicite illi ſuperadduntur. ℞. Mandatum illud abſolutè & univerſaliter non poſſe intelligi aliàs omnes libri poſt Proverbia recenſiti eſſent reijciendi. Undè intelligi illud mandatum debet de additione ſola oppoſita Verbo DEI qualis non eſt doctrina de traditionibus, imò verò firmantur illæ Verbo DEI & locis Scripturæ ſaltem generaliter prout viſum jam ſupra.

Objectio 2da. Ioan: 20. dixit ſe ſcripſiſſe ea quæ *opportuna ſunt ad habendam Vitam æternam.* Et Lucas

 Act:

Act: 1. ait, *se fecisse sermonem de omnibus quæ fecit IESUS & docuit.* Ergò tota doctrina Christi requisita ad vitam, id est, salutem, habetur in scripto & sic nihil ei cùm traditionibus. ℞. Quod si recta esset hæc illatio tunc sequeretur solum Evangelium Ioannis & Lucæ esse libros Fidei, & omnia dogmata ipsius continere illos libros, in cæteris verò libris nihil spectans ad fidem contineri: quod nullus sectariorum dicet. Deindè quomodò verum erit omnia in specie descripsisse Lucam, cùm illud non habeat quod descripsit Ioan: C. 1. In principio erat Verbum &c. & idem Ioannes notavit, *Mundum non posse capere libros si scriberentur omnia gesta & dicta à Christo.* Undè dico. S. Lucæ Evang: complecti omnia gesta Christi in genere tantū non verò in specie.

Objectio 3tia. 2dâ ad Timoth: 3. Paulus dicit: *Omnis scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, &c. ad erudiendum in justitia:* atq; sic sola illa sufficit. ℞. Idem Paulus 1. ad Timoth: 4. dicit *Pietas est utilis ad omnia*, nec tamen indè sequitur, quod sola sit sufficiens ad salutem: aliàs frustra Apostolus exhortaretur ad mortificationes & similia, & sic non sequitur illatio dicta; sed tantùm quòd inter alia, etiam scriptura sit utilis ad pietatem acquirendam, & fidem edocendam. Alias contradiceret sibi Paulus qui 2. ad Thess: 2. monet, ut teneantur traditiones ut supra dictum est.

Objectio 4ta Solam scripturam in materia fidei adhibendam docent veteres Patres S. Basilius l. de vera fide. Manifesta defectio fidei est, importare quidpiam eorum quæ non sunt scripta. S. Chrysost: hom: 13. in 2. ad Cor: *Habemus exactissimam Regulam divinarum legum assertionem, Itaq; Divinis scripturis omnia acquiruntur.* S. Hier: in Matth: 23. *Quod sinè scripturarū testimonio adfertur, eâdem facultate conte-*

mni-

minitur quâ dicitur. Et quod clara sit probatio ex scriptura hom: 3. in Ep: ad Thess: subjungit, *Quacunq; sunt necessaria, manifesta esse in Divinis scripturis.* ℟. Quod allegata loca textusq; ipsos in fontibus Doctorum citatorum non reperi præter authoritatem S. Chrysost: sed admissis etiam quòd haberentur, universaliter dico SS. Patres ita esse intelligendos, ut non opponantur scripturæ & non contradicant suis alibi dictis; cùm ergò constet tàm per scripturam, quàm per sensum Patrum jam supra citatorum etiàm ipsius S. Basilij, Traditiones admittendas esse, proindè hîc intelligendi sunt Patres loqui velle limitatè, & tantum in ordine ad excludenda omnia illa à fide, quæ aliquo Spiritu privato, ac sinè judicio Ecclesiæ & sine testimonio quod antiquissima esset illa traditio. Mens autem S. Chrysost: cum immediatè ante hunc locum tractet de opinionibus, est tantum de illis in quas quis temerè traheretur. Traditiones autem non sunt temeræ opiniones, ut potè fundatæ in scriptura & Patribus. In ultimò verò loco S. Chrysostomi mens patet, ex textu ejus ulteriori; invehitur enim ibi contra illos qui non legebant scripturam, non tam ob difficultatem intelligendi sensum ipsius, quâm implendi ea quæ suadebat, vel mandabat scriptura: Sic enim illos allocutus est; *Quoniam auditores estis delectationis:* & propterea docet eos ibi omnia quæ sunt in scriptura esse dilucida, recta, & facilia ad exequendum.

Dico 3tio. Authoritas Ecclesiæ cum suo visibili Capite Papa legitimè electo, & pacificè recepto, sufficiens argumentum fidei præbet. Quod Probatur. Quia promisit Christus Petro & suæ Ecclesiæ adeoq; omnibus Successoribus Petri, infallibilem assistentiam in rebus fidei Math: 16. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Ergò Ecclesia non potest

errare in docendo, & sic argumentum præbet firmum probandi quid de fide, aliàs promissio Christi fallax esset, quod dici nequit; contra illud 1. ad Timoth. 3. *Ecclesia DEI vivi columna & firmamentum veritatis.* Id ipsum docet S. Aug Ep: contra Manichæos C. 3. & 4. Ubi inter alia cum dixisset se nolle interea recurrere ad scripturam, quoniam ad ejus cognitionem pauci Spirituales in hac vita perveniunt, (per quod notavit obscuritatem ejus) tandem ait: *Tenet me consensus populorum, tenet Authoritas miraculis inchoata, spe nutrita &c. tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves Dominus commendavit usq; ad præsentem Episcopum successio Sacerdotum* Et infra C. 5. *Ego Euangelio non crederem, nisi me authoritas Ecclesiæ commoveret.* Item tota Ep: 92. ad Innoc: Papam supplicat cum alijs Episcopis Conc: Millevitani pro decisione super aliqua puncta de fide contra Pelagium, S. Hieronymus Ep: 57. & 58. Romanam Ecclesiam & Damasum contra Arij errores invocat, dicens: *Ego nullum primum nisi Christum sequens, beatitudini tuæ; id est Cathedræ Petri consocior; qui extra hanc domum Agnum comedit, profanus erit.* Deinde si Ecclesia DEI Visibilis non esset infallibilis in decernendis de fide, nihil omnino in fide tàm nostra quàm & Lutherana (sic de alijs) haberetur infallibile. Undè enim constaret ipsam scripturam ex qua depromimus præcipuè articulos fidei verè esse Diuinam adeoq; à falsitate immunem, quam etiam ipsi sectarij acceperunt ab Ecclesia Romana.

Objectio 1ma. Successio in Sede Petri Pontificũ (cui tantum detulit S. Aug: citat:) jam vacillavit, cum propter Ioannem. VIII. Papam, quem historici afferunt fœminam irrepsisse sedi, Tum quia ab Urbano VI. qui A. D. 1378. electus fuit usq; ad præsentem Pontificem, nullus videtur successisse legitimè nam ut videre est apud S. Antoninum initio Concil: Constan-

tien:

tien: anno eodem nonnulli Cardinales recedentes ab Urbano alium sibi elegerunt Clementem Quorum uterq; habebat asseclas & hoc Schisma usq; annum 1417. durabat, ita ut non potuerit tunc dignosci quis fuerit legitimè electus Papa, atq; sic successio tot annis interrupta cessavit. ℞. Ad 1. Fabulam illam de Ioanne VIII. à multis Authoribus uti calumniam esse jam sufficienter refutatam præsertim à P. Kwiatkiewicz Societ; IESU, Polono, in præclaro etsi parvo opusculo suo dicto Fascinus hæreticorum, ex eo præsertim quod ab Adversarijs nunc Moguntinus nunc Anglus ille Ioannes dicatur. Insuper quia fides Martini Poloni qui hanc Historiam 1320. sparsit & quidem eâ acceptâ ab incertis authoribus, & obscuris plurimis rationibus, ob falsas multas rationes ipsius in sua historia, eneruetur ab eodem Kwiatkiewio in Annalibus. Quantùm verò ad interruptionem Successionis, quæ contigit sub Urbano VI. ℞. Valentia tempore illo usq; ad Martinum V. electum & receptum in Concil: Constant; qui intercesserunt illos Pontifices censeri legitimè electos qui in locum Urbani successionis serie recepti fuerunt alios verò fuisse Pseudopapas. Deindè sivè hic sive alij fuerunt Pontifices, sivè nullus eorū. sed tunc quasi sedes Petri vacaret, nihil interest, modò constet Martinum V. in Concilio postea receptum fuisse in locum & Successionem Petri, Id autem benè constat ex Actis Concilij, ideoq; cæteros ejus successores præsentes modò esse legitimos.

Objectio 2da Dato quod ita sit: adhuc, quod Christus dixerit. Tu es Petrus &c. per hanc Petram non intellexit Personam Petri aut successorum ejus sed doctrinam ipsam quam tum professus fuit Petrus. ℞. Istam explicationem non esse bonam 1. Quia opponitur violenter textui. lij enim Tu es, appellat super Personam Petri. 2. Quia opponitur sensui Antiquissimo

simo

simorum Patrum. 3. Quia siquidem doctrina illa spe-ctabat æquè ad Petrum sicut ad alios Apostolos quorum nomine Petrus solus locutus fuit, & tamen ad Petri individuum locutus fuit Christus illa verba, ut sic stabiliretur Petrus tanquam fundamentum & caput visibile Ecclesiæ, non obstante quod ipse Christus esset primarium fundamentum caputq; in visibile ipsius; ubi primum subijsset mortem.

Dico 4to Authoritates Patrum Antiquorum probant aliquid esse de fide, & omnino sunt admittendæ. 1mò. Quia Deut: 3. dicitur. *interroga Majores tuos, & dicent tibi.* Eccl. 8. *Non te prætereat narratio Seniorum ipsi enim didicerunt à Patribus suis.* 2dò. Quia ipse Calvinus in Admonit: Vlti ad Vestphal: vocat S. Augustinum virum Sanctum & eruditum. Et in 1. ad Hess: Vocat eundem optimum, fidelissimum ex Antiquis Doctoribus, Similia testatur de S Athanasio, Chrysostomo citatus Calvinus à Chavassio Inde est, quod plerumq; Calvinistæ acceptent authoritates Antiquiorum Patrum. 3tiò. Patres illi fuerunt, primitivæ Ecclesiæ Pastores, Doctores proindè, non poterant ignorare veram doctrinam sensumq; ejus, & si illi ignorassent, multo magis alij rudiores, & sic in Ecclesia DEI primitiva, nulla fuisset legitima verbi DEI prædicatio, quod ipsum pro principali nota Ecclesiæ veræ asserunt esse Adversarij. 4tò. Quia antiqua Ecclesia Patrum illorum scripta acceptavit, imò multoties usa est ijsdem, ad confundendas exorientes hæreses. 5tò. Quia illi Patres ab Eccesia antiqua habebantur pro Sanctis, quomodo ergo si erroneam aliquam doctrinam tradidissent sanctitas eorum staret, imò arbitri erant valdè idonei ad damnandos noviter consurgentes hæreticorum errores; Isti enim absq; studio partium doctrinam ab Ecclesia antiqua acceperunt, posterisq; reliquerunt. Et propterea S. Aug. lib. 2. con-

2. contra Iulian: C. ult: ad judicium Antiquorum Patrum appellabat.

Objectio 1ma. Psal. 115. Monet script: *Omnis homo mendax.* Cum ergo & illi Patres homines fuerint errare poterant. R. Chavassius scripturam loqui id & asserere de singulis seorsim sumptis; non autem de unanimi consensu eorum, præsertim si adsint alia argumenta, quod non sint mentiti, ut est eorum sanctitas, eorumq; ab Ecclesia receptio, quæ errare etiam in hoc, si vera fuit, quod admittunt sectarij, non potuit.

Objectio 2da. S. August: l. 3. in litt Petiliani C. 6. *Anathema dicit annuntianti sive de Christo, sive de Ecclesia, sive de quacunq; alia re, quæ pertinet ad fidem vitamq; nostram, præterquam quod in scripturis & Evangelijs accepimus.* Simile quid ex S. Cyrillo Hierosol: allegat. Ad hæc R. Citatos Patres non loqui universaliter, ipse etenim S. Athana: usus est authoritate Patrum contra Hæreticos præsertim in tuenda voce Consubstantialitatis; de qua voce nihil clare in scriptura: Deindè ipse S. August: contra Iulian: lib: 1. C. 2. provocat ad testimonia Irenæi, Cypriani, Ambrosij, Innocentij & aliorum. Undè in loco præfato intelligi debent loqui de aliquibus privatis Doctoribus, qui nullam allegando Authoritatem Ecclesiæ antiquæ, novas aliquas volebant propagare doctrinas. Rursùs idem S Augustinus 3. de peccat: & meritis c. 7. *Nos utimur, ait, Authoritate Patrum non quasi Canonicâ sed ut appareat, ab initio usq; ad hoc tempus quo novitas* (scil: hæresis) *orta est, hoc apud Ecclesiæ fidem, tantâ constantiâ fuisse custoditum.*

Dico 5tiò. Spiritus cujusq; privatus non est bonum argumentum probandi aliquid esse de fide. Probatur 1mò. Dicit Apostolus 2. Petr: 1. *Omnis prophetia scripturæ propriâ interpretatione non fit.* Ezech: 13.

Va

Væ Prophetis insipientibus qui sequuntur Spiritum suum. S. August. l. 12. Confes. 25. *Veritas tua Domine, nec mea est, nec illius aut illius sed omnium quos ad ejus communionem publice vocas* Probatur 2dò. Interroga ex Advers. Quomodò tibi constat tuum Spiritum esse Divinum, & non sathanæ, transformantis se in Angelum lucis? Item. Quarè inter sectarios, qui omnes innituntur Spiritui suo privato tanquam fidei Regulæ tot sint sectæ sibi oppositæ? Item si ego quoq; dixero me ex hoc Spiritu privato affirmare, quod tu negas; quo veritatem tuam probabis, nisi in vitiosum circulum incurras?

Objectio 1ma. Iacob: 1. dicitur. *Si quis indiget Sapientiâ postulet à DEO qui dat omnibus affluenter.* Et Ep: 1. Ioan: 2. V. 20. *Non necesse habebitis ut aliquis vos doceat, sed ipsa Vnctio docet vos de omnibus.* Item Ioan: 5. V. 34. *Ego testimonium hominum non accipio.* Ergò per privatum instinctum quilibet potest regulari in credendis. ℟. Ex 1mò loco non sequi consequentiam quando enim DEUS dat Sapientiam seu illuminationem per hominum authoritatem & instructionem, dicitur verè eam dare ut principalis ejus Author quamvis agat medijs causis secundis, sicut etiàm dicitur DEUS producere fænum. Imò clarè dixit Discipulis Christus Math: 10. *Non estis uos qui loquimini, sed Spiritus Patris Vestri qui loquitur in Vobis.* 2dum locum explicans S. Aug: Tr. 3. in 1. Ep: Ioan: docet, non posse hæc verba simpliciter intelligi, sic enim alloquitur Apostolum, *Tu dixisti: quia Vnctio ipsius docet vos de omnibus, ut quid igitur hanc Epistolam scripsisti? quid illos docebas?* Undè concludit S. Doctor, Ex isto concludi, efficacitatem doctrinæ ab alijs acceptæ pendere ab Vnctione Spiritûs S. interna cuiq; Ad 3tium locum ℟. illa verba protulisse Christum, ut ostenderet doctrinam suam non indiguisse testimonio

Ioan-

Ioannis, sed solùm ex vi providentiæ DEI volentis, propagationem ejus fieri per testimonium Ioannis. Hinc est quod in eodem ipso loco Christus ubi negavit se testimonium hominum accipere, utitur contra Iudæos testimonio Ioannis. Deindè Vniversaliter, si ista verba essent simpliciter intelligenda, sequeretur indè, frustra Apostolos prædicasse, scripsisse, omnia enim illa edocuisset fideles Vnctiò privata cujusq;

Objectio 2dâ. Multi Doctores exposuerunt scripturam ex Vnctione privata Spiritûs, aliosq; id docuerunt, cur ergò & non quilibet alius? præsertim cùm Spiritus ubi vult spiret. ℞. Quòd Interpretes scripturæ non condant articulos fidei, sed tantùm illuminant textum ipsius; si tamen expositiones sint receptæ authoritate Ecclesiæ, & adsit unanimis illorum in interpretatione textûs alicujus consensus, possunt servire pro Regula in credendis. Tu autem sectarie siquidem tuum sensum opponis Ecclesiæ & sensui Patrum, Spiritu tuo privato convincere me non potes.

CAPUT III.

De Notis Veræ & Falsæ Ecclesiæ.

QVoniam quilibet etiam Sectarius admittere debet in sola Vera Ecclesia haberi fidem veram, ad convincendum ergò illum compendiosissimus modus erit ostendere hîc & non alibi esse veram Ecclesiam. Cùm autem nequeat id convictivè probari ex scriptura, Authoritates etiam Patrum parum fortè curaret sectarius, sicut & Conciliorum allegationes; optimum erit ostendere notas aliquas quæ nos infallibiliter ducant in cognitionem; vbi sit vel non sit vera Ecclesia. Sectarij duas ad hoc sufficere dicunt notas. Scilicet sinceram prædicationem verbi DEI seu scripturæ

ptu

pturæ & legitimum usum Sacramentorum, sed certè docent ignotum per ignotum, adhuc enim incumbit ipsis probare, apud ipsos haberi sinceram prædicationem & usum Sacramentorum: quod non probabunt nisi prius doceant apud illos haberi veram Ecclesiam, quæ sit Iudex & interpres scripturæ, & sic circulum facient. Itaq; veræ Ecclesiæ.

Nota 1ma est. Quia est unica Cant. 6. *Vna est Columba mea*, S. Aug. l. 1. de symbolo C. 5. *Credimus Ecclesiam Catholicam, ipsa est Ecclesia Sancta, Ecclesia Vera, Ecclesia una.* Neq; castissimum sponsum Christum scilicet decet habere nisi unam sponsam; & unum caput quod est Christus ad plura ergò corpora spectare non potest. Et hæc nota est in sola Ecclesia Romana, habet enim illa vnitatem doctrinæ fidei, etsi per plagas Orbis diffusa, omnes enim qui sunt Ecclesiæ Catholicæ, etsi moribus dispares & lingvis in dogmatibus fidei, idem tenent. Habet item vnitatem Capitis Christi, ejusq; Vicarij & unitatem membrorum in participatione Sacramentorum, orationum, meritorum, juxta illud Psal: 118. *Particeps ego sum omnium timentium te.*

Objectio 1ma. Non obstare veritati Ecclesiæ quamvis non esset una, nam Ecclesia triumphans & militans sunt duæ Ecclesiæ, sunt tamen veræ Deinde apud vos Catholicos duo sunt capita Christus & Petrus: quomodo ergo erit una Ecclesia? ℞. Neg: Ecclesiam triumphantem & militantem esse duas Ecclesias diversas: sed sicut pars Regni alicujus quæ impugnatur à Turcis non est omninò distincta ab alia parte ejus, quæ jam de Turcis triumphavit ita & Ecclesia triumphans cum militante. Ad 2dum. Sicut in eodem Regno possunt esse duo capita subordinata, ut fuit in Ægypto Pharao & Ioseph: ita & Ecclesia Christū habet ut Primarium caput & secundariū scilicet summum Pontificem.

Obje-

Objectio 2da. Etiam Mahometani dispersi per Orbem habent unitatem fidei seu erroris sui, nec tamen apud eos est Ecclesia vera. ℞. Eos non habere unitatem talem qualis est supra explicata sed tantùm secundum quid & præterea non habent vnitatem quæ copulativè sumpta cum alijs sequentibus sit nota veræ Ecclesiæ. Hâc verò Ecclesiæ notâ carent Hæretici nam inter eos nunquam fuit unitas fidei id est consensio in vnum, cùm Lutherani vix nasci cæperunt, statim divisi sunt, in Anabaptistas, Confessionistas, & successivè in alias usq; ad 36. sectas. Imò ipsius Lutheri contradictiones innumeras notarunt multi Authores & hoc ipsum reputavit Lutherus l. de Votis Monast: pro argumento dignoscendi mendaciū à Vero.

Nota 2da. Veræ Ecclesiæ est quod sit Sancta, idq; ratione doctrinæ & mediorum, quæ à peccatis abducant, ac ob miracula ejus Sanctitatem confirmantia. In qua Nota evidenter deficiunt hæretici, qui tot sæculis nullum ex suis producere possunt qui habeatur ab Orbe vel Orbis parte pro Sancto, salvato vel Martyre. Imò ipsam Sanctitatem impugnant, dùm media tollunt, & merita, impossibilem observatu legem Domini asserentes, Vota Monastica condemnantes, liberumq; arbitrium ab homine tollentes Miracula nulla producunt quæ pro confirmatione suæ doctrinæ adhibuit ipse Christus, Discipulosq; similia adhibere voluit. Undè S. Aug: l: 22 de Civit: C. 5. ait. *Miraculum vel unicum quod constat à DEO factum ad certissimum veræ fidei testimonium sufficere debet.* Hic sectarij negant in Ecclesia Nostra fieri miracula, nisi conficta ab Historicis; alij dicunt facta ope dæmonis. Sed hoc postremum coincidit cum illa calumnia Iudæorum contra Christum, dæmonem eijcientem, alias idem dicendum esset de alijs miraculis, tot sæculis factis antè Lutherum. Præterea Dæmon vel illa mira-

racula faceret potestate Divinâ vel propriâ? Non 1mum alias DEUS comprobaret fidem falsam quàm sectarij attribuunt nobis. Non etiam 2dum, quia sic multo magis operaretur miracula pro secta Turcarũ, ut plures attraheret homines. Quandò autem absolutè negant apud nos fieri miracula. Insto 1mò. Si negatur fides Historicis, ego quoq; negabo fuisse aliquando Lutherum, Calvinum &c. de quibus non habemus nisi Historicos. 2dò. Nobis ut potè antiquam promoventibus fidem præter illa miracula quæ ab initio patrata esse constat, non incumberet novis comprobare fidem miraculis. Sectarijs verò omninò incumberet, qui cupiunt antiquam reformare fidem, sicut ipse Christus fecit, dum per legem novam antiquã reformaret. 3tiò Dico cum D. Augustino l: 22. de Civit: ad finem: *Si miracula facta negas, hoc ipsum est miraculum, quod tanta pars Orbis cum summa adhæsione etiam ad Martyrium huic doctrinæ in multis arduæ & contrariæ sensualitati nostræ, crediderit, & hucusq; perseuerat, quod pro alijs favorabilibus sensualitati nostræ currere non potest*; Nec obstare potest Sanctitati Ecclesiæ, quod plurimi reperiantur mali, Ecclesia enim fidelium est similis sagenæ congreganti pisces ex omni genere, satis ergo est quod sit Sancta sanctitate doctrinæ, quamvis per accidens effectus non sequatur in omnibus; sicut & doctrina ipsiùs Christi Sancta fuit, quamvis in Iuda Sanctitatem non fuerit sortita.

Nota 3tia. Veræ Ecclesiæ quod sit Catholica seu Vniversalis per extensionem sui ad omnia loca & tempora successivè prout illi prædictum Psal: 79. *Plantasti radices ejus & implevit terram*, & Psal: 47. v. 9. *DEUS fundavit eam in æternum*. Quod autem dicunt Hæretici ipsam defecisse saltem tùm, dum teſtante S Hieronymo Orbis ingemiscens miratus fuit se esse Arianum; Hoc falsum est de Vniversali Eccle-

clesia, quia S. Doctor juxta Chavassium locutus est de nonnullis tantùm fidelibus qui convenerant Ariminū ex omni parte Orbis, & circumventi ab Arianis, inclinaverant ad eorum doctrinam abolentes quoddam vocabulum Græcum ignotæ significationis in favorem Arij. Hi tamen deprehenso errore, deceptos se doluerunt & admirati de suo facto pænituerunt, quod patet ex actis illius congressus.

Nota 4tà. Veræ Ecclesiæ quod sit Apostolica, tam quo ad successionem, Ordinationem & Iurisdictionem Ministrorum à Christo & Apostolis, quàm etiam quo ad ipsam doctrinam. Horum 1mum evidens est in nostra Ecclesia ubi à S. Petro plus quàm 250. numeramus Pontifices Quo autem ad doctrinam quòd etiam Apostolica sit, ex eo patet, nam quemlibet Articulum parata est examinare ad amussim Conciliorum & SS. Patrum. 2dum. Quia promovet jejunia, mortificationes, cælibatum quæ SS. Apostoli successoresq; eorum promovebant. Dum autem Sadàél sectarius objicit aliquos abusus in Ecclesia, ut Simoniam, Avaritiam &c. quæ non erant in Apostolis. Hoc non obstat, quia Ecclesia talia aversatur, & hæc graviter per Canones prohibet, atq; punit, tanto minus docet.

In hac vero Nota deficit secta quæ libet. 1mò. quia non vult examinare dogmata sua ad amussim morum Apostolicorum & sensum Patrum, Item non est Apostolica in jurisdictione Ministrorum. Dent enim vel unum Luthero, Calvino, Zwinglio priorem, qui fuerint ejusdem cum illis fidei, & qui talis dici possit. Dicunt nonnull fuisse aliquos sed invisibiles & ignotos, quia inquiunt vera Ecclesia (quod illi jactant de sua) deficere unquam non potuit. Sed talis responsio se ipsâ corruit, cum petat principium & hoc pro se allegat quod nunquam probavit, neq; probare potuit. Tandem si fuit tot annis vestra Ecclesia incognita & invisibi-

ſibilis propter perſecutionem (ut ais) Papæ uti Antichriſti, quarè itaq; ſaltem aliqui in publicum non prodierunt; ſicut antiqui Chriſtiani faciebant ſub perſecutione Paganorum. Item exoriente Luthero, fuerunt? ne aliqui ex illorum Eccleſia reſidui cur ergò ſe non adjunxerunt Luthero? ſi verò non fuerunt; Ergò antè Lutherum præter Romanam fuit Eccleſia (ut tu ais) incognita.

Corollarium perſtringens Hæreticos de Nota veræ Eccleſiæ.

EXaminatis hiſce veræ & falſæ Eccleſiæ notis, applicatisq; cuilibet, quæ ſe geſtiret vocari Veram Eccleſiam, quamvis facilè colligere jam potes, quæ ſit vera, Cæterùm Synopticè ſubijcio pro Coronide de Notis Eccleſiæ ut petas à ſectario; Quomodonam Notam habere Veræ Eccleſiæ cenſenda eſt illius Eccleſia quæ eſt in doctrinis ſuis tam monſtroſa: quas breviter collegit ſub Anno Domini 1673. Kwiatkiewius in Faſcino Hæreticorum & recenſuit cum allegatione foliorum ex Libris proprijs ſectariorum Decept: 1. Lutherus nomen Trinitatis nec audire potuit. Eumq; conſtat ex Bellarmino ſubmoviſſe ex ſupplicationibus illud: Sancta Trinitas unus DEUS Noviſſimus Author ut potè 1719. Reverendiſſimus Ancuta I. V. D. Canon: & Officialis Vilnenſis in ſuo Libello cujus titulus *Ius plenũ Religionis Catholicæ in Regno Poloniæ & M. D. L. contra Diſſidentes* ambientes Curules Regni & conſequenter alia Officia cognomini ſuo alludens, ſatis acuta depromſit arma, quibus ambientium confecit auſum ſat doctè & glorioſè idq; Iure multiplici agens contra Diſſidentes. Undè ut probaret Diſſidentes eſſe vere Hæreticos quod illi non liben-

bentes audiunt; opponit præsertim Calvinistis ipsorum Doctoris Calvini textũ. Ep: ad Polonos pag: 1973. Reijcio ut stolidum dictum eorum, qui volunt in DEUM credere, esse in Trinitatem credere. Beza Calvini discipulus videtur tres Deos asserere quia tres Divinitates C. 1. A. 2. Vorstius item discipulus Calvini etsi DEUS sit infinitus juxta Ps. 144. *Magnitudinis ejus non est finis*; ipse negat Deum esse infinitum tam in essendo quàm in operando. p. 234. docet non esse DEUM immensum sed tantum esse in cælo pag. 235 contra illud 3. Reg: 8. *Cæli cælorum capere te non possunt* Lutherus contra Ioan: 14 *Ego in Patre & Pater in me est*, negat consubstantialitatem Filij & est osor vocis *homousyon* Plures autem & monstrosas variorum Hæreticorum collegit blasphemias jam citatus D. Ancuta. C. 2. §. 12. fol. 10. DEUM non omnia sine reprehensione agere, non omnia posse. Item, non credunt Christum propriè DEUM de DEO. Filium DEI non esse propriè Verbum & Imaginem Patris Docent Christum fuisse peccatorem, desperasse in Cruce, & pænas damnatorum luisse. Neq; fuisse veracem, neq; sumpsisse carnem ex Virgine, & quod Filius DEI distinctus sit à Filio Mariæ, quod ipse latè probat allegatis textibus Hæresiarcharum. Quomodò ergò eorum Ecclesia blasphemiarum tantarum plena Veræ Ecclesiæ notam habere censebitur! Proindè nihil jam restat nisi convenire cum Adversario de Armis seu principijs communibus utriq; undè depromenda sint, ut apud utrumq; habeatur pro receptis. Tale ergo Principium Primum sit S. Scriptura, Et quia de sensu ipsius posset disceptari inter nos, propriæ uniuscujusq; non deferemus explicationi, ideò dum habebimus Principium, Patrum antiquorum Authoritates & quidem diligenter plerumq; regestratas ex fonte, 3tium. Prin-

 cipum

cipum erit receptum apud utrumq; Erroneam esse doctrinam quam Ecclesia vera (quæ errare non potest) damnavit. Nos propterea agendo in particulari de quolibet Articulo, quemlibet errorem sect: damnatū in Ecclesia edocebimus.

PARS II.

De Modernis Controversijs in particulari.

CAPUT I.

De Fide, Operibus, Gratia, & Prædestinatione.

DOcent imò Catholici, Fidem & bona opera peccatorem disponere ad justificationem & ad gratiam primam, quâ homo transfertur à statu peccati ad statum gratiæ. adò. Per Fidem & per bona opera mereri hominem augmentum gratiæ, illaq; opera digna esse mercede æternâ, mediante tamen auxilio gratiæ & meritis Christi, ita decidit Concil: Trid: Sess: 6. C. 8. Lutherani autem & Calviniani cum suis Antesignanis, docent solam fidem sufficere ad salutem. Imò asserunt omnia opera justorum esse peccata; & tantum justos dici, per imputationem sibi justitiæ Christi. Et quia recentiores nonnulli Hæretici erubescunt super hac doctrina, dicuntq; falsò eam imputari suis Doctoribus, videant & invenient eam apud Calvinum lib: 1. de libero Arbitrio. In Lu-

tche-

thero autem in confut: Latom: fol: 220. sed hi tamen error confutatur per sequentia.

Dico 1mò Solam fidem non sufficere ad salutem. Probatur. Quia opposita Hæresis damnata fuit in Simone Mago; teste S. Irenæo Antiquissimo Patre lib 2. c. 20. Item in Eunomianis sub Anno 360. teste S. Augu: Tract: 6 Hær: 54.

Dico 2dò. Sacra scriptura & SS. PP. præter fidem requirunt bona opera, scil: observantiam mandatorum DEI. Probatur. Matt: 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Matt: 29. *Voca operarios redde illis mercedem.* Rom 2. *Reddet unicuiq; secundùm opera sua.* 1. Cor. 3. *Vnusquisq; propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem,* Iacobi 2. *Fides sinè operibus mortua est* S. Aug: l. 4. de fide & operibus Cap: 14. ait. *Videamus* (quod excutiendum est à cordibus religiosis) *nè malâ securitate salutem suam perdant, si ad eam obtinendam solam fidem sufficere putaverint.* S Cypr de vnit: Eccl: *Iustitiâ opus est; ut promereri poßit quis DEUM; præceptis ejus obtemperandum est, ut accipiant mercedem suam merita nostra.* S. Cyrillus l. 10. in Ioan: C. 18. *Quod autem fides ad salutem non sufficiat; Christus etiam Discipulis ostendit.* S. Hier. in Ps. 5. *Ut fides quæ reputata est Abrahæ in salutem, in justitia comprobetur, & omne legis opus in charitate ponatur.* Et in illud Isaiæ 26 Ponetur in ea murus & antemurale; sic ait: *Murus bonorum operum & antemurale rectæ fidei; non enim sufficit habere murum fidei nisi ipsa fides operibus comprobetur.*

Object. Rom: 2. Apostolus dicit: *Arbitramur hominem justificari per fidem sinè operibus legis.* R. S. Aug loco sup: cit: C. 14. quod in hoc loco non doceat Apostolus, quasi perceptâ & professâ fide opera justitiæ contemnantur, sed ut sciat quisq; ex Ethnicis

Romanis conversus, se per fidem susceptam justificari, etiamsi in antè opera legis non habuerit. Colligit autem hanc fuisse mentem Pauli, quia ille ad eosdem Romanos scribens Ep. 2. C. 10. ait: *Plenitudo legis est charitas*; & 1. Cor. 13. *Si habeam omnem fidem, ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum.* Imò advertit S. Doctor occurrisse huic dubio D. Petrum, ubi fassus est S. Paulum in sua Epistola quædam difficilia tradidisse, & statim quasi nucleum difficultatis tangeret, exhortatur ad opera bona, & vitam inviolatam.

De Prædestinatione autem: Docent illi imò independenter ab omni merito vel demerito, æterno DEI Decreto aliquos destinatos ad gloriam, aliquos ad pœnam æternam, & propterea ajunt DEUM ordinasse peccatum Adæ, ut indè haberet occasionem discriminandi electos à non electis. Sed hic error est clarè contra scripturam, Ezech. 18. ubi DEUS protestatur & ait: *Nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur, & vivat.* Sap. 11. *Nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Nec hic illi reponere possunt: Quod etiam in Ecclesia vestra Romana plures Scholastici similem sustinent opinionem: Quia quidquid sit de Prædestinatione ad gloriam, adhuc de destinatione reproborum ad pœnam aliter sentiunt; & nemo illorum tenet reprobationem factam antè prævisa demerita, sed saltem ob prævisum originale peccatum, aliquos esse exclusos defendunt.

Docent 2dò. Calvinistæ Christum pro solis nonnisi prædestinatis mortuum fuisse, & hoc est contra illam vniversalem 2. Cor. 5. *Christus pro omnibus mortuus est.*

Docent 3riò. DEUM non omnibus, sed solis prædestinatis dare gratiam, contra illud Pauli *DEUS vult omnes salvos fieri*, quantùm ex se est; Qui facit Solem suum oriri super bonos & malos. Do-

Docent 4tò Hominem in statu naturæ lapsæ perdidisse libertatem arbitrij sic; ut sicut concupiscentiæ suæ, ità & gratiæ DEI resistere non possit: Contra illud Act: 7. *Vos semper resistitis Spiritui Sancto. Antè hominem vita & mors, quodcunq; voluerit &c. Reliquit hominem in manu consilij sui.* Deindè ut quid tot comminationes in scriptura, si ex necessitate concupiscentiæ peccamus.

Docent 5tò. DEUM præcipere hominibus impossibilia; sed contra Apostolum sic testantem de se ipso, Philip: 4. *Omnia possum in eo qui me confortat.* Et hæc fuit hæresis pridem damnata, teste S. Augustino l. 2. de pecc: C. 6 *Dubitare non possum DEUM aliquid impossibile præcipere homini, nec DEO ad opitulandum & adjuvandum, quo fiat quod jubet, impossibile aliquid esse; ac per hoc potest homo si velit esse sinè peccato adjutus à DEO.* Ex his ergò suis doctrinis, quos refutavimus, parum curantes dicta volunt inferre solos prædestinatos habere veram fidem, & ex solis prædestinatis constare Ecclesiam DEI, contra illud, quandò Christus assimilavit suam Ecclesiam sagenæ congreganti pisces bonos & malos. Inferunt præterea ipsa peccata prædestinatorum ipsis non imputari; sed cùm quanta violentia scripturæ?

Objiciunt illi unicum locum S. Pauli Rom: 9. Quod caput Apostolus videtur totum scripsisse de prædestinatione, seu Electione. Ibi inquit ille nomine DEI. *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Et *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis DEI. Cujus vult miseretur, & quem vult indurat. An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere, aliud vas in honorem, aliud in contumeliam.* Atq; sic Prædestinatio erit ad gloriam ex mero beneplacito DEI. ℞. Totum illud Caput esse de Prædestinatione ad gratiam fidei; & hoc clarè patet ex textu ipsi-

us, non autem de Prædestinatione ad gloriam. Et sanè explicatione suâ idem caput ventilavit S. Aug. l. 1. ad Simplic. aitq; *Non electio precedit Iustificationem, sed justificatio electionem, nemo enim eligitur, nisi jam distans ab illo qui rejicitur*. Et ultra: *Quod autem ait: Non ex operibus sed ex vocante dictum est ei; Major serviet minori, non electione meritorum, quæ post justificationem proveniunt; sed liberalitate donorum DEI voluit intelligi.* Et plura alia ibi per totam Quæstionem docet S. Doctor; qui occurrendo sectariorum Quæstioni de modo concordandi libertatem in prædestinato cùm infallibilitate Decreti prædestinantis, hanc difficultatem taliter solvit. 3. de lib. arbitr. Posse aliquid infallibiliter futurum esse, & tamen liberè fieri, si illa futuritio supponat actum liberum, quem omninò dicit (alias requirit) beatitudo & opera nostra à pari; vg: determinavi me infallibiliter ad sessionem, infallibiliter ego sedebo, & tamen liberè. Deindè addit idem S. *Monstrum est quod dicis, Necesse est, quod ita velim, nam necessitate istâ tollis voluntatem; si enim necesse est ut velis, undè voles, cùm velle non eris?* addit postea. *Si autem habes velle, cur dicis non liberè te velle, cùm velle non possit esse, nisi liberum.* Quo habito & evicto, facilè solves illud Calvinisticum: Quidquid egero in vita, si sum prædestinatus salvabor, si reprobatus damnabor infallibiliter. Quia dicendum ipsi, quod falsum assumat Quid quidegero, salvabor, si sum prædestinatus: es enim prædestinatus, ex futura cooperatione ad bonum, & è contra: Alias si argumentum tuum valeret, absolutè sequeretur nec agricolæ seminandum, nec infirmo, medico opus esse, quia ob infallibilitatem Decreti necessariò futura esset vel non futura messis, aut vita infirmi.

CAPUT

CAPUT II.

De reali Præsentia Christi in Eucharistia.

CAtholici omnes admittunt post consecrationem Panis & Vini, Christum uerè & realiter esse præsentem sub accidentibus remanentibus Panis & Vini, ablatâ substantiâ Panis & Vini. Calvinus negat totum, sed tantùm docet, Panem & Vinum esse Figuram Christi. Lutherus autem admittit præsentiam realem Christi saltem in usu, remanente simul substantiâ Panis & Vini. Itaq; contra Calvinum.

Dico 1mo. Negare in Eucharistia realem Præsentiam Christi, error est hæreticus. Probatur 1mò. Quia damnatus est in Synodo VI. Act. V. in Simonianis & Iconomachis; qui docebant in Eucharistia solam esse Figuram Christi; imò participat cùm illis, qui Ioan: c. 6. dixerunt: *Quomodò potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Cùm enim facilè esset humanam Carnem in imagine comedere, sicut fit in panibus aromaticis; certè si veluti signum promitteretur à Christo manducatio Carnis suæ, ut quid tanto horrore percellerentur Audientes, & retraherentur à credendo. Et ideo Christus damnans tales non credentes dicit *Amen dico vobis nisi manducaveritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis.* Ioan. c. 6.

Probatur 2dò. *Panis quem ego dabo, Caro mea est.* Ioan. 6. & Matt. 26. & Marci 14. Lucæ 22. Vbi instituens hoc Sacramentum Christus sic ait: *Hoc est Corpus meum. Hic est Sanguis meus.* Quod autem illa Verba propriè & de reali præsentia, prolata sunt: patet ex unanimi consensu Patrum hunc locum interpretantium. Basilij, Greg. Nyss. Chrysost.

Cyril.

Cyrill: Epiph: & aliorum mox citandorum. Interea scito, communem esse doctrinam ex S. Aug: depromptam l. 5. de doctr. Christ: C. 1. quod quandò verba Scripturæ, sumi possunt propriè (ut brevi patebit de verbis istis) sinè omni inconvenienti, tunc non sunt detorquenda ad sensum figuralem tantùm. Alias quandò contra Arium probamus esse Filium unum cùm Patre ex illo Loco: *Ego & Pater unum sumus*; diceret similiter Arius, locutionem non esse de reali unitate, sed de aliqua alia Metaphorica. Quia etiam Christus dixit de se: *Ego sum Vitis Vera.* Et tamen hæc locutio non habetur etiam à Catholicis pro reali sed tantùm pro figurata, sed ut disparem esse utriusq; rationem, & hoc ex antecedentibus ac ex consequentibus colligitur, circa imum, non ita autem circa 2dum. Nam post verba *Hoc est Corpus meum*, additur statim, *quod pro vobis tradetur*; jam verò reale corpus Christi traditum est. Et S. Paulus requirit diligentissimã præparationem in sumentibus hoc Sacramentum; quem certè non exegisset, si tantùm figura manducaretur Corporis Christi: Sicut non oportuerat. tantâ præparatione in manducatione Agni Paschalis & Mannæ, etsi ambo ista fuissent Figura Christi.

Probatur 3tiò. Ex illa in initio Ecclesiæ communi accusatione infidelium contra Christianos in primordijs illorum, quos carnis humanæ voratores, infanticidas vocitabant; eò, quod audiebant illos gloriantes se Corpus Christi manducare; imò Averroes Ethnicus in sua Metaphysica notavit: *In mundo varias sectas inveniri, sed deteriorem, aut etiam magis fatuam Christianá non inveni; Quia DEUM suum quem colunt devorant.* Ergò hoc communis & publicus fuit sensus de Christianis, quod ipsi in Eucharistia reale Corpus Christi manducarent, & non sub figura tantùm.

Probatur 4tò. Testimonium est ipsius Calvini l.

con-

contra Hesüchium ubi ait ille. Fatemur Corpus idem quod Crucifixum fuit, nos in Cæna manducare. Beza ejus discipulus Ep: 5. ait: Verba illa quod pro vobis tradetur, necessariò huc te adducunt, ut de ipsamet Corporis & Sangvinis substantia hoc intelligere cogaris. Hæc Testimonia Hæresiarcharum prius antè Patres adduxi, ut per hoc Adversarios facilitatem ad recipiendas authoritates aliorum SS. PP. ex eo, quod nos permissivè admisimus illorum (quod alias non teneremur facere) Probatur 3tiò. Authoritatibus Patrum primitivæ Ecclesiæ, quos per omnia sæcula demonstrat Bellarm. Ego aliquos hic, sed antiquos produco: S Cypr. de Cæna. *Panis iste non effigie, sed naturâ mutatus, Omnipotentiâ factus est Caro; sicut in Personâ Christi Humanitas videbatur, & latebat Divinitas; ita & in Sacramento.* S. Damasc: l. 4 de fide C 4. *Dominus dixit, Hoc est, non Corporis signum, sed Corpus non Sanguinis signum, sed Sanguis* Idem omninò docuit S. Epiphanius in VII. Synod: Act. 6. Hilar. l. 3 de Trin. S Cyrillus 4to. post Christum sæculo Tr: 4. ad Nestor 6. de Euch: per totum. S. Ambros. ejusdem sæculi Doctor l. 4. de Sacr C. 4 *Si tanta vis in sermone Domini IESV, ut inciperent esse quæ non erant; quantò magis operatorius est, ut quæ erant in alia commutentur. Non erat Corpus antè Consecrationem, sed post Consecrationem dico tibi, quod jam Corpus Christi est* S. Aug in Ps 98. *Caro est, quam de Carne MARIÆ accepit, in ipsa ambulavit, ipsam ad manducandum in salutem dedit*: Nemo autem illam carnem manducat. nisi priùs adoraverit. Adorari autem Caro Christi non posset, nisi ibi realiter & non figuratè fuisset Christus.

Objectio 1ma. Ioan: 6. c 4. *Caro non prodest quidquam; Spiritus est qui vivificat* Undè inferunt Calvinistæ Carnem ibi realem non comedi, ut potè

non profuturam. Prӕtereà ipſe S. Aug. loco paulò ſup. cit: in Perſona Christi ſic ait: *Non hoc Corpus quod videtis manducaturi eſtis &c. Sacramentum aliquod vobis commendaui, Spiritualiter intellectum vivificabit vos.* Ad hӕc ſtatim in l. cit: ℞. S. Aug: dicens: *Carnaliter cogitaverunt illi* (quibus loquebatur Christus) *& putaverunt, quod praciſurus eſſet Dominus, particulas quaſdam de Corpore ſuo, & daturus illis.* Ideò taliter ſumptam Carnem ſuam non profuturam eis, ut potè ſinè Spiritu Fidei. Vndè ulterior textus S. Aug in eodem ſenſu explicandus eſt, ſi volumus ſuſtinere, quod S. Doctor conſequenr loquatur.

Objectio 2da. Idem S. Aug. cont, Adamant. C. 12 *Non dubitavit Christus dicere; hoc eſt Corpus meum, cùm ſignum daret Corporis ſui*; Et Tr. 25 in Ioan. *Vt quid paras dentes & ventrem crede, & manducaſti.* ℞. negando ex prӕallegatis ſequi contrarium quid noſtrӕ doctrinӕ à pari; ſicut quamvis juxta Hebr. 1. dicatur Christus Filius DEI, eſſe Figura ſubſtantiӕ Patris, ex hoc non ſequitur ſubſtantiam Patris non eſſe realiter in Filio & Christo; ita & illatio facta non tenebit. Intantùm ergo Euchariſtia dicitur ſignum, inqnantum ibi ſub ſigno viſibili eſt inviſibiliter Corpus reale Christi. *Ad 2dum* dico. ſi textus benè revideatur, patebit ſermonem ibi eſſe non de manducatione Euchariſtiӕ, ſed de manducatione ſeu de cibo, quo alitur anima; alias de auditione verbi Divini.

Objectio 3tia. Poſſibile non eſt totum Christum realiter contineri in tàm parva Hoſtia, & ſimul eſſe in Cӕlo, ac in tot locis in terra, ejuſq; Majeſtatem dedecere dentibus frangi, imò à beſtijs muribus conculcari, conſumi, ut fit aliquandò ℞. Talia omnia non eſſe impoſſibilia ſpectatâ Omnipotentiâ infinitâ DEI, ſimulq; bonitate ipſiùs, ac amore immenſo ejus in genus humanum. Non minus enim impoſſibi-

ſibilis videretur, poſitio Corporis Chriſti in in pluribus locis ſimul, penetratio ſepulchri, clauſarum januarũ, Virginalis uteri, mutatiò aquæ in vinum; & tamen hæc verè facta eſſe negare non poſſunt ſectarij ſimiliter & illud negare non debent. Deindè (quod notavit S. Aug.) ſicut ſolis radiùs, non inquinatur ex cæno, in quod illabitur; ita nec Majeſtas Corporis Chriſti læditur manducatione, & quâvis attrectationè, præſertim cùm Corpus Chriſti ſit in Euchariſtia modo inſenſibili, & quaſi Spirituali: de quo conſulendi Theologi ſpeculativi, nobis Controvertiſtis ſat eſt innuere.

Objectio 4ta. Calvinus ait: Quandò dicebat Chriſtus Hoc eſt Corpus meum, ſub tempus prolationis nihil fuit, niſi Panis, Ergò illo Pronomine. HOC, nihil demonſtrabatur niſi Panis, non autem Corpus Chriſti; quod nondum tunc erat etiam ſecundùm Catholicos. ℞. Chavaſſius Quòd quandò eſt demonſtratio alicujus, quod fieri exigit per mutationem (ut contingit in Conſecratione) tunc Pronomen Demonſtrativum debet ſignificare rem non illam, quæ eſt præſens in illo inſtanti, ſed illam, quæ ponitur per illam mutationem in ultimo inſtanti v. g. mutationis, dum ſc: completur forma, ſeu prolatio ejus, & ſic ponitur Corpus Chriſti. Exemplum ſit in alijs ſententijs Chriſti, qualis fuit illa: *Lazare veni foras*, *Adoleſcens ſurge*. In initio harum prolationum nondum à parte rei extitit vivus adoleſcens, aut Lazarus, ſed poſt perfectam completam prolationem; & tamen ſtatim primæ vocis prolatio appellabat Lazarum ut vivum, quem mutabat ex mortuo in vivum.

Dico 2dò. In Euchariſtia ſub ſpeciebus panis continetur ſubſtantia Corporis Chriſti, in quod vi Conſecrationis tranſſubſtantiatur panis. Lutherus oppo-

ſitum

ctum docet, nec vult vocare mutationem illam Transsubstantiationem, sed Impanationem, contra quem definivit Concil. Trid. sess 13. c. 4. &c: Probatur 1mò. Quia Christus ait: *Hoc est Corpus meum*. Certum est autem secundùm Adversarios, ibi fuisse substantiam Corporis Christi. Itaq; ℟. Ubi cùm fuit substantia Panis? non potest dici fuisse in Corpore Christi, quasi quid commixtum, neq; tanquam quid hypostaticè illi unitum, ubi enim de tali nova unione? Neque tandem tanquàm quid separatum; alias quomodò de ipso diceretur, *Hoc est Corpus meum*; nec major esset ratio de illa Hostia dicendi Hic est Panis, quàm Hoc est Corpus Ergò &c. Probatur 2dò. Quia nec ex scriptura, nec ex SS. PP. probare possunt quod asserunt, sicut nos probavimus Dogma nostrum.

Probatur 3tiò. Quoties dicitur aliquid mutari in aliud, non rectè dicitur manere primum cùm 2dò. Undè aqua in nuptijs in vinum mutata, non mansit cùm Vino, sed solùm vinum, alias gustandam se exhibuisset Architriclino. Sed SS Patres docent hoc Sacramentum fieri etiàm per mutationem Panis & Vini in Corpus Christi, ejusque Sanguinem, quod patuit ex allegatis jam. Quibus adhuc addo Euseb: Emiss. Hom. de Pasch. *Invisibilis sacerdos visibiles Creaturas in substantiam Corporis & Sanguinis sui, verbo suo Sacro, secretâ potestate convertit*. Greg: Nyss: Orat: Catech: C. 37. *DEI Verbo sanctificatum panem, in DEI Corpus credo transmutari*. Et infra: *transelementari in Corpus & Sanguinem Christi*. Ergò in Euch. non remanet, post Consecrationem substantia Panis.

Objectio 1ma. Eucharistia in scriptura vocatur Panis, ut 1. Cor. 1. Quomodò autem sic diceretur, si ibi non esset Panis. ℟. vel cùm S. Ignatio M. Panem ibi sumi mysticè juxta illud Ioan. 6. 32. *Pater meus dat vobis Panem de Calo verum*, qui est se-

cun-

eundùm eundem Ignatium Caro Christi. Vel dico: vocari ibi Panem Corpus Christi ratione visibilium Accidentium Panis. Sicut Angeli qui apparuerunt Abrahæ ratione exterioris figuræ dicuntur viri Gen:18.

Objectio 2da. Verbum Transsubstantiationis nullibi legitur in scriptura, Ergò non admittendum in fide. ℞. neq; nomen Trinitatis, aut Consubstantialis, aut Transelementationis, quo usus est supra S. Greg: Nyss: leguntur in scriptura, & tamen usurpata fuêre in antiquissima Ecclesia, etiam apud nonnullos Hæreticos. Idem dicendum de nomine Transsubstantiatio; cùm in re idem sit, quod mutatio unius substantiæ in aliam; quæ quod transigatur in hoc Mysterio, jam evictum est, ex S. Scriptura & SS. Patribus. Addo, nec nomen quoq; Impanationis, (quo utitur Lutherus) vel virtualiter haberi in scriptura vel Patribus, oppositum potiùs docentibus, & damnantibus Hæresim Lutheri.

Dico 3tiò. Non in solo actuali usu & sumptione Eucharistiæ, adest præsentia realis Christi, in Sacramento; Sed est ibi permanenter statim post consecrationem; debetq; adorari Christus in Eucharistia cultu Latriæ. Probatur 1mò. Quia non potest Lutherus Doctor & Author oppositi erroris, id ex scriptura aut PP. probare. Probatur 2dò. Quia sup. citt. Aug. l. 2. asserit Sacramentum hoc, prius esse adorandum, quàm sumendum. Ergò antè sumptionem pro aliquo priori est in Eucharistia Christus, qui adoratur. Probatur 3tiò. Quia constat ex scriptura & Patribus per consecrationem factam esse mutationem Panis, in Corpus Christi; sicut constat ex scriptura mutatio Virgæ Moysis in colubrum. Sicut ergò ex eadem sctiptura constat, posteà desijsse colubrum, seu iterùm fuisse mutatum in virgam, ita pariter constare nobis deberet, per scripturam, post

Consecrationem & usum desinere Corpus Christi in Sacramento; quod non ostendit Lutherus.

Probatur 4tò. Scriptura & Patres, præsertim citatus S. Greg. supra, mutationem Panis in Corpus Christi attribuunt verbis Consecrationis: sed contingit plerumq; quod non statim post Consecrationem sumatur Eucharistia, imò & ipse Christus in Cæna consecratum simul Sacramentum successivè distribuebat Apostolis. Ergo antè usum Sacramenti est ibi realiter Corpus Christi, & ob eandem rationem erit etiam, post usum in residuis particulis: cum non constet de causa detractiva præsentiæ illius post usum.

Probatur 5tò. Tertullianus antiquissimus l. 2. ad Vxorem testatur Christianos suo tempore consuevisse ad suas domos portare Eucharistiam. Idem refert S. Iustinus in Apolog 2. S. Hier: in Ep: ad Cor. c. 11. in illud *Accepit Panem*, ita ait. *Vltimam nobis memoriam reliquit: quemadmodum, si quis peregrè proficiscens aliquod pignus, ei quem diligit relinquat, ut quotiescunq; viderit illud, possit ejus beneficia & amicitias memorari.* S. Cyril. Ep. ad Gallosyniam, docet eos insanire, qui asserunt Eucharistiam, si in alterum diem reservetur, vim suam amittere.

Dices Magis conducit ad evitandam irreverentiam Personæ Christi, & ad præservationem à corrosionibus animalium, & alijs, non admittere ibi realem præsentiam ejus; ℞. Huic difficultati jam supra satisfactum esse agendo cùm Calvino circa læsionem realem Personæ Christi. Quo ad autem læsionem moralem ejus, quam patitur ab indignis sc: in peccato illum sumentibus: hanc si tolerat in Persona sua Christus, id facit ex amore in genus humanum, tantùm demittendo Majestatem suam; ut demonstret, quòd nedũ consputus, & illusus moriens dederit se in pretium, sed etiam convescens voluerit se dare in edulium

quan-

quantò ergò magis resolvit se ex eodem amore in hominem, in longè minores, ut potè plerumq; materiales irreverentias.

De Sacrificio Missæ.

DIco. Christus Dominus in sua vltima Cæna non tantùm Sacramentum sed etiàm sacrificium per sacerdotes offerendum instituit. Hoc etsi patet ex illis verbis Christi: *Hoc facite in meam commemorationem*; prout ab antiqua Ecclesia vera, prædicta Verba semper intellecta fuerunt, illud tamen dari defactò. Probatur imò Vaticinio Malachiæ C. 1. 11. *Ab ortu solis usquè ad occasum magnum meum nomen in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.* Hoc autem nequit intelligi de Sacrificijs antiquæ Legis; illa enim in eodem Cap. paulò superiùs graphicè reprehenduntur. Et prætereà S. Hieronymi sensu, vaticinium hîc fuit de sacrificio novæ legis. Nec etiam propriè sumi potest pro Orationibus, seu sacrificio laudis; hoc enim non infrequenter fit à peccatore, propterea dici non potest oblatio munda. Nec de sacrificio Mortis Christi, in monte Calvariæ; hoc enim semel tantùm oblatum est. Remanet itaque ut intelligatur de sacrificio incruento Missæ, quod ex se est mundum, & in qualibet parte mundi usq; ad diem Iudicij quotidiè inter Catholicos offertur. Vndè S. Hier. hîc; *Quamvis per thymiamata aliquomodò intellexerit Orationes Sanctorum; tamen strictè hoc Sacrificium explicando, ait: In omni loco offerri oblationem nequaquam immundam, sed mundam, ut est in caeremonijs Christianorum.* S. Chrysostomus in Ps. 95. versans citatum locum Prophetæ, sic ait: *Vide quàm dilucidè explicatur men-*

mensa, quæ incruenta hostia est? Et idem thymiama appellat Sacras preces, quæ post hostiam offeruntur. Vndè si quos ex Patribus adducat sectarius, qui velint intelligere per illud Sacrificium apud Prophetã Orationes & preces illas. Dicas, esse conformiter intelligendos Patres ad sensum Hieron. & Chrysostomi, qui pariter, censebant per illud Sacrificium intelligi Orationem sed secundariò, & non principaliter, & quasi quid concomitans & adnexum Sacrificio, ut olim ad nectebantur Sacrificio veteris Legis thymiamata pro ornamento; sed non tanquam substantia sacrificij.

Probatur 2dò. S. Paulus ad Hebr: 7. per totum Caput satis latè enarrat & docet, Christum fuisse Sacerdotem secundùm Ordinem Melchisedech; Sacerdotis autem principale munus est sacrificare, Cùm autem sacrificium Mortis ejus sit factum semel, non potest dici rigorosè æternum. Sequitur ergò, quod æternum hujus Sacerdotis Sacrificium sit in Corpore & Sangvine ejus sub speciebus Panis & Vini, ad normã illius Melchisedech, qui legitur Panem & Vinum obtulisse. Id autem ipsum constat ex mente S. Hieron: in Matt: 26. dicentis: *Assumit panem, & ad verum Paschæ transgreditur Sacramentum; ut quomodò in præfiguratione ejus Melchisedech summi DEI Sacerdos panem & vinum offerens fecerat, ipse quoq; veritatem sui Corporis & Sanguinis repræsentaret.* Patebit præterea paulò infra, antiquam Ecclesiam (quæ secundùm sectarios errare non potuit) ex hac Figura Melchisedech collegisse & docuisse verum sacrificium offerri in Missa.

Probatur 3tiò. Et principaliter Deducitur ex illis verbis Christi instituentis hoc sacrificium Luc: 22 *Hoc facite in meam commemorationem,* Ij enim facite usualiter venit pro sacrificate, dùm ponitur in scriptura V.g. Exodi 29. *Hoc est quod facies in altari agnos anni-*

annieulos. Num. 16. *Agnum unum facies manè.* Matt. 26. *Scitis quia post biduum Pascha fiet.* Vndè antiqui Patres ex illo loco Evangelij colligunt, traditam fuisse à Christo potestatem sacrifiandi Apostolis. Ita Irenæus l. 4. adv: Hæreses C. 32. apud Boverium. Iustinus in dialog. & S. Aug. l. 20. contra Faustum Cap 21. *Sacrificare DEO non dixi peccatum, quod frequenter facimus, illo duntaxat ritu, quo sibi sanctificari novi Testamenti manifestatione præcepit* sc: Christus. Ne autem sectarius recurrat ad significationem sacrificij Orationis, additur paulò inferiùs in textu. *Caro & Sanguis hujus sacrificij antè Adventum Christi per victimas similitudinum promittebatur, in Passione Christi per veritatem reddebatur, post Ascensionem, per Sacramentum memoriæ celebratur.* Respondet ad hæc quidam Sectarius Goulartius, in suis blasphemis notis ad Opera S Cypriani in Ep. 6. 3. Nomine Sacrificij ibi à Christo præcepti intelligi non antiquam actionem Sacrificij, sed ipsam sumptionem & dispensationem Eucharistiæ, quæ est communis omnibus fidelibus; allegatq; pro suo sensu S Basil. qui ait ad Cæsarem: *Sacrificium vocatur, quod pugno cujusq; manûs accipitur, & ori admovetur.* & Chrysost. Hom. 18. in 2 Cor: docet. Communionem mysteriorum, esse communem inter populum & sacerdotem. Et tali modo respondendi vult evadere omnes Authoritates PP. in quibus illi profitentur verum esse hic sacrificium. Sed contra ipsum est 1mò. SS. PP. ut adhuc magis patebit loquuntur de sacrificio, ut dicit vel connotat particularem actionem sacerdotis, & communionem. 2dò. Christus Dominus in Cænæ sacrificio plures exercuit actiones diversas præter dispensationem; nimirùm oblationem, Consecrationem, & benedictionem; & proindè præcipiens discipulis signanter dicit, *hæc facite*, non autem hoc

 refer-

reservans illud soli consecrationi, uti parti principali. Imò constat id ex S. Aug. Ep: 59. ad medium: Ubi enumerat plures partes sacrificij hujus, & hoc ex ratione & conceptu formali veri sacrificij: atque sic sumptio Eucharistiæ, non rectè dicitur sacrificium. Et hoc respondendi modo volunt difficultatem evadere Adversarij, sed hæc Evasio tantùm valet, si Sacrificium sumamus pro parte tantùm sacrificij, sc. pro sumptione ejus, & pars sumatur impropriè; quod non intendit S. Basilius, ob sensum oppositum aliorum Patrum (præter jam allegatos) mox infra citandorum. S. autem Chrysost. (ut ibi ex textu ejus intelligere est) pares quidem facit populum cùm sacerdote, sed non quo ad actiones sacrificandi, & tùm cùm tremenda mysteria percipienda sunt, nimirùm quod non aliud edat sacerdos & aliud populus: longè aliter, quàm fuerat in lege veteri ordinatum Levit. 10.

Probatur 4tò. Deducitur ex antiquissimo sensu Patrum continuato, per omnia sæcula, deducto ab ipsis Apostolis, quos producit P. Boverius Capucinus sat prolixè. Nos tantùm breviter, per 4tuor nonnisi sæcula (quibus sectarij admittunt, quod Ecclesia nec minimam erroneam in fide admiserit doctrinam) testes adducemus, quorum opera ad manum habere potuimus. imò, Liturgia S. Petri Romana, S. Iacobi Alexandrina, Æthiopica, Mediolan: quarum priores primo sæculo ab Apostolis institutæ sunt, istæ omnes Liturgiæ actiones circa ipsam Consecrationem sacerdotis, circa rem oblatam à sacerdote, vocant sacrificium. Clemens Rom Ep. 3 ait. *In alijs locis sacrificare, & Missas celebrare non licet, nisi in quibus Episcopus permiserit; hæc Apostoli à Domino acceperunt.* 2dò sæculo S. Irenæus adv. Hæret: l. 4. C. 32. *Novi Testamenti novam* (Christus) *docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in universo mundo offert*

DE-

DEO. Item Telesphorus Ep. ad omnes C. 2. Vbi etiam nomen Missæ (quod sectarij ut novum aspernantur) expressè invenies. 3tio sæculo S. Cypr. per totum Ep. 63. latissimè & clare de hoc sacrificio, & de figuris illud antecedentibus; ubi statim de admixtione aquæ (quam ægrè ferunt sectarij in Catholicis) habet, de Christo, quod docuerit id exemplo Magisterij sui, calicem (nempè) Vini & aquæ conjunctione misceri. 4to Sæculo, Concil. Nicænum I. Can. 14. Item Athan. apud Damasc. serm. de defunctis sic ait. *Hæc quæ pro Defunctis accepta sunt DEO incruentum sacrificium existit.* Cyril. Alexandr. Tr. 4. de Anathematismis Anath. 11. ait; *Sanctum & vivificum, incruentumq; sacrificium in Ecclesijs celebramus, non hominis alicujus similis nobis, sed magis tanquàm proprium, vivificantis Verbi Corpus & sanguinem percipimus.* S. Chrysost. l. 3. de sacerdotibus ait *Dum conspicis Dominum immolatum, sacerdotem sacrificio incumbentem ac preces fundentem, tunc verò turbam circumfusam pretioso illo sanguine tingi ac rubefieri, etiamnè te inter mortales versari, atque in terra consistere censes?* Idem, latiùs prosequitur orat. 17. in Ep. ad Hebr. S Hier. adv. Pelagium Iovin. pluries meminit sacrificij offerendi à Sacerdote præsertim contra Pelagium l. 3. c 5. ait. *Docuit Christus Apostolos suos, ut quotidiè in Corporis illius sacrificio credentes audeant loqui Pater noster &c* & l. 1. adv. Iovinian. C. 19. *Si Laicus & quicunq; fidelis orare non potest, nisi careat Officio conjugali; sacerdoti, cui semper offerenda sunt sacrificia pro populo, semper orandum est.* S. August. Tom. 10. serm. de divers. 5. explicans illud: *Panem nostrum quotidianum*, & exhortans ad frequentem Communionem ait. *Quoties offertur sacrificium, mors Domini, Resurrectio, Elevatio significatur & remissio peccatorum*; serm. 59. tra-

ctat de voto & de sacrificio Altaris, ejusq; partes recenset, Tom, 3. L. de fide c. 19. *Firmissimè crede, sacrificium Panis & Vini in fide & charitate, quod S. Ecclesia Catholica per universum Orbem terræ, offerre non cessat.* Tom: 5. Quæst. 2. l. 2. *Nondũ adhuc* (loquitur de temporibus Legis Mosaicæ) *esse cœperat sacrificium Sanctum Sanctorum, quod Corpus Domini est.* Tandem Tom: 5. l. 10. de Civit. C. 20 ait. *Cujus rei* (sc: sacrificij cruenti) *Sacramentum esse voluit Christus, quotidianum Ecclesiæ sacrificium.* Ad hoc ultimũ, & ad alias authoritates PP. in quibus aliquis horum terminorum, sc: Sacramentum, vel signum, vel illud esse in memoriam, asseritur.

Respondent Maijfertus Saxo Academicus, & Forbesius Batavus, quorum primus, scripsit contra Becanum, alter verò contra Bellarminum dicendo: quod eo ipso, quia SS. PP. utuntur præallegatis terminis, convincuntur non velle asserere hic esse verum Sacrificium, sed tantùm memoriam Sacrificij cruenti in Cruce, alias Sacrificium tantùm in significatione, non in veritate; cùm simul eadem res & actio non possit esse & signum Sacrificij, & simul ipsum Sacrificium. Imò idem non potest esse signum, sui ipsius. Sed contra hanc interpretationem; Tum quia est contra mentem aliorum Patrum, qui fuerunt ejusdem authoritatis cum primis, qui in alijs Locis & frequentiùs loquuntur sinè illis particulis: T. q. Benè potest eadem res vel actio simul & signum & Sacrificium esse; & sic in veteri Testamento fuerunt vera Sacrificia & signa, juxta SS. PP. significativa Sacrificij novæ Legis, saltem cruenti id est Mortis Christi. Cur ergò non possit Sacrificium Altaris esse signum Sacrificij cruenti? imò verò. Quandò autem dicit Maijfertus: Idem non potest esse Signum suimet. Respondetur: Species Sacramentales seu Accidentia visibilia Panis

&

& Vini, dici signa significativa præsentiam Christi; & sic signum non erit idem cum significato. Vel Sacrificium incruentum significare cruentum Sacrificium quod ipse exhibuit in Cruce. Vndè dicitur in memoriam fieri, & sic non erunt idem in re signum & significatum. Plura alia tangentur infra dum agemus de Purgatorio.

CAPUT III.

De Communione sub una specie.

CAlvinus asserit præceptam esse Communionem omnibus fidelibus sub utraq; specie; sc: sumptionem panis & Calicis. Lutherus autem non asserit id clarè, sed tantùm invehitur in Ecclesiam, quod prohibuerit id fidelibus, quod pro libitu cujusque Christus concessit. Itaq;

Dico. Nullũ exstat præceptum de Cõmunione sub utraq; specie quamvis ab initio Ecclesiæ, cum adhuc esset parvula & inter persecutiones Tyrannorũ, fuerit in usu talis Cõmunio, quod testatur S. Aug. & alij antiqui. Probatur. Quia nec ex S. Scriptura nec PP. id tanquã præceptũ docere possunt sectarij. Vt patebit ex responsis ad illorum argumenta. Er: &c. Antecedens probatur. 1 Cor. 11. 27. *Quicunque manducaverit Panem, vel biberit Calicem &c.* ubi disjunctivum *vel* (quidquid sit, quod in nonnullis Editionibus Bibliorum, corruptum & mutatum habeatur in et) ostendit posse sumi unam speciem sinè alia: concordat autem ista Lectio nostra cum Græca, imò & cùm Lectione ipsius sectarij Bezæ. Item 1. Cor. 10. 17. Apostolus ait *Quoniam unus Panis sumus, & qui de uno Pane participamus*, ubi nulla fit mentio calicis. Item. Legitur Christus ejusq; Apostoli dispen-

sâsse aliquandò Eucharistiam sub sola specie Panis sic Lucæ 24. 35. *Cognoverunt eum in fractione Panis.* Quod interpretantur SS. Hier. Aug. Chrysost. de Eucharistia Act. 6. 42. *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis.* Et similiter Act. 20. 11. Vbi Syriaca legit pro lij panis, lij Eucharistiæ. Sentitq; sic Chrysost, Hom. 17. Operis imperf. in Matt. Imò ipse Lutherus de Euch. & Calvinus apud Boverium hic. Item frequentissimè legitur apud SS. PP. de sumptione Eucharistiæ, solâ factâ mentione Panis, quos videre est apud nostros Controversistas, quorum authoritates hic non citantur, cùm eas non negent sectarij, sed explicent, dicendo PP. ibi loqui per Synecdochen, sumendo partem pro toto; cui evasioni occurritur. Quia modus loquendi quô ibi utuntur PP. ostendit contrarium; nam S. Aug. serm. 25. de temp. narrat illud (quod eis datur ex Altari) à mulieribus excipi, exhibito nitido linteolo; & Hom. 50. Cavendum docet, nè particula cadat de manibus; quod certè magis cavisset de sumptione calicis, si illum administrari fidelibus supposuisset. Item apud D. Ambros. & alios legimus moris fuisse in Ecclesia, ut qui sperabant mortem proximam, vel Martyrium, deferrent secum pro viatico sumendo Eucharistiam, & ita S. Satyrus à naufragio fuit salvatus; hæc autem quomodò fieri potuissent circa species vini fluidas? Item Quia Concil. Eliberitanum antiquissimum, nàm sub Sylverio 1. adeoq; facilè recipiendum à Sectarijs, qui gesta antiquæ Ecclesiæ tanquàm adhuc veræ venerantur. Illud ergò Cap. 76. Diaconis malè promotis, Et Sardicense C 2. Episcopis pro pænitentia in fine vitæ tantùm Laicalem permittit Communionem, quæ non alia potest assignari, nisi consistens in solâ participatione Corporis Christi.

Obje-

Objectio 1ma. Verba Christi ad omnes dicta fuisse *Bibite omnes* Matt. 26. 27. ℟. Iij omnes non posse referri ad fideles omnes, aliàs sequeretur, quod sumptio Eucharistiæ præciperetur etiam infantibus, item indignis, quos Apostolus deterret à mensa Domini, & etiam viris post actum Conjugij. Sequeretur 2dò, quod omnes fideles deberent consecrare, sacrificare &c, quæ falsa sunt etiam apud Sectarios, qui solis ad hoc deputatis, talia munia, vel saltem distributionem committunt. Itaq; Iij omnes spectare Dico ad solos Apostolos, quibus tùm dabatur potestas sacrificandi; & hoc colligitur ex ipso Evangelio, apud D. Marcum. Qui prænominatis verbis subjungit narrationem, Et biberunt ex eo omnes, quod cùm dictum constet esse de solis præsentibus Apostolis, etiam illud primum Omnes, de solis illis ita intelligi postulat.

Objectio 2da. Marci 13. 37. Christus in Cæna subjunxit, *Quod Vobis dico, omnibus dico.* Ergo & illa verba *bibite* ad omnes fideles spectabunt. ℟. Illa verba prolata fuisse non statim post institutionem Sacramenti, sed post multas doctrinas, nedùm Apostolis necessarias, sed cunctis fidelibus; & proindè opportunè addidit Christus Dominus, quod vobis dico, omnibus dico, ut supra prolata recenter adverterent.

Objectio 3tia. Si per Christi Domini verba hæc, non præciperetur Laicis Communio sub utraq; specie; per quæ igitur alia verba? ℟. per alia Ioan. 6. Nisi manducaveritis &c. Vrget Sectarius. Etiam hic præcipitur bibitio Sangvinis. ℟. aliud est bibitio Sangvinis Christi, & aliud bibitio Sangvinis ejus sub speciebus Vini. Hoc alterum ibi non præcipitur, ut patet ex verbis Christi, quæ non sunt specificativa specierum Vini; sed tantùm primum. Certum autem est, quod sumendo Corpus Christi sub speciebus

Panis, ex quo illud est uivum, bibo & sumo Sangvinem ejus; cùm Corpus vivum nequeat esse exangue, id est sinè sangvine. Nec in hij bibitio debet esse tanta vis; cùm ibi vita Spiritualis promittatur & pendeat non ab actione vel specie tali vel tali, sed potiùs ab illo, quod sub speciebus continetur, & datur ex meritis Christi. Vndè & illa manducatio & bibitio, magis connotat Christi Carnem, quæ connaturaliter dicitur manducari & Sangvinem, qui dicitur bibi; magis inquàm, quàm species Sacras. Si autem Q. Sectarius: Cur Apostolis præcipitur utrunq; non autem fidelibus omnibus? R. Quia ut supra ostendi, in illa Cæna Apostoli instituebantur Sacerdotes ad conficiendum verum Sacrificium incruentum, quod nisi offerretur sub separatis speciebus continentibus ex vi verborum Consecrationis, non posset esse plenè figurativum Mortis Christi & sangvinis, qui in Passione ejus fuit separatus à Corpore. Imò satis esset respondere, sic placuisse Christo instituenti.

Objectio 4ta. Vsus antiquæ Ecclesiæ non interruptus, habet apud Catholicos vim Traditionis, adeòq; de fide potest concludere. Per multa autem sæcula priora fuit usus, quòd fideles sumerent Eucharistiam sub utraq; specie; & modò defactò Græcis aliquandò permittitur. R. Non potest ostendi ab Adversarijs quòd fuerit usus talis, simul cùm opinione, esse talem obligationem sub præcepto. Deinde non fuit usus talis universalis, sed diversus pro diversitate locorum, etiàm uno & eodem tempore, ut patet: comparando authoritatem S. Aug. ad initium Capitis citatam.

Objectio 5ta. Manichæi Hæresis fuit, de sumenda Eucharistia sub sola specie panis, cui hæresi vos Romani conformatis. R. Manichæum à nullo Patrum ideò dici Hæreticum; sed ideò, quia pro motivo habuit erroneam opinionem, & hæresim includentem

aliam

aliam, quasi sc: vinum esset fel draconum, & à malo DEO creatum. De cujus errore S Aug. hær 46. Et cum ille alijq; PP. minimos quosve errores Manichæi enumerassent, eosq; confutâssent, hujus abstinentiæ à calice nec meminerunt. Hinc colligitur, quo ad substantiam ipsam actionis non errasse Manichæum. Si Q. Sectarius, Cur sumptionem Calicis, quæ fuit aliquandò fidelibus saltem pro libitu, nunc Ecclesia prohibuerit Laicis? ℟. imò. Quia Hæretici temerè asseverabant sacrilegam esse Communionem sub una specie Panis, ne ergò eorum errorem approbasse videretur, sub una specie Panis communionem fidelibus reliquit. 2dò. Prohibuit Laicis propter amovenda scandala, pericula irreverentiarum, quæ possent facilè contingere in multitudine circa species vini, ratione turbæ, infirmitatis; imbecillitatis stomachi. 3tiò. Et dato, quod hæc evitari possent, adest alia Causa cur arcerentur Laici à Calice, nimirùm ob uniformitatem usûs inter omnes fideles; cùm in multis regionibus, sivè nimis frigidis, sivè nimis calidis non esset possibile vini species diutiùs conservare. Nec tàm facilè posset sufficere vinum in pluribus Parochijs pro communicandis alicubi sat numerosis. Neque hinc sequitur Laicos per hoc privari bono Spirituali sibi licito. ℟. enim, cùm totum illud bonum habeatur à Christo, qui latet sub utrisq; speciebus, non minus gratiæ, quantùm ad salutem necessariæ dabitur sub una specie sumenti, quàm si sumeretur sub utraq; siquidem juxta Scholasticos Theologos ex merito operantis, sc. quia obeditur in hoc Ecclesiæ, etiam gratia Sacramentalis copiosior infunditur, sub una specie communicanti. Vndè prudenter valdè ut scholasticis fortè non impediret Controversias: An majorem Gratiam lucretur ille, qui sumit Eucharistiam sub utraq; Specie,

quàm

quàm ille qui sub una? abstractivè loquitur & statuit dicens Trideninum Ses. 21. C. 3. *Nullâ gratiâ necessariâ ad salutem fraudari eos, qui unam solùm speciem accipiunt.* Deindè in Sacramenti hujus dispensatione posterius attendi debet suscipientium utilitas, priùs verò ipsius Sacramenti reverentia; quæ hic præcavetur, ob quod periculum denegatur etiam amentibus, & parvulis, etsi jam baptizatis, ac ægrotis vomitum patientibus.

CAPUT IV.

De Missis Privatis pro Vivis & defunctis.

NOmine Missæ privatæ potest intelligi Missa quæ celebratur vel in loco privato, vel in ædibus oratorijs, vel in templo quidem, sed sinè cantu, nec in Altari summo, vel quæ fit sinè concursu populi, vel extra diem Dominicum & Festa, vel in qua solus Sacerdos communicat sinè communione populi; vel deniq; dicitur Missa privata, quia ad aliquam particularem intentionem, aut pro particulari persona offertur Iacobus Rex Angliæ impugnat tales Missas, quas Lutherus irrisorie vocat Angulares. Contra quos.

Dico 1mò. Missas privatas in quibus nullus de plebe communicat sed solus Sacrificans esse laudabiles. Probatur. T.q. in tali Missa reperitur tota essentia & integritas Sacrificij à Christo instituti, tàm quo ad ipsum Offerentem scilicet Christum; tàm quò ad Sacrificantem, scilicet sacerdotem, tàm quò ad rem oblatam, scil: Carnem & Sangvinem Christi quàm quò ad DEVM cui offertur. T q. Sacerdos etiam privatim celebrans & solus sacramentaliter communicans agit publicum Ecclesiæ Ministrum, nec pro

se tan-

ſe tantùm, ſed etiam pro tota Eccleſia offert. T.q. Sacrificium non offertur populo ſed DEO pro populo, quod fieri poteſt, etiamſi populus non communicet nec aſſiſtat, modò tantùm (ut ordinatum eſt ſub Leone III.) fiat cum uno Miniſtro, qui repræſentat plebem. T.q. Abel, Abraham et alij obtulerunt Sacrificia ſinè tali concurſu populi. T q. Ipſe Chriſtus Cænam & primum ſacrificium in privata celebravit domo; & certè in illa primitiva Eccleſia dùm Tyrannis ſæviret, & necdum haberentur Templa cogebantur fideles & communicabant ad antra & loca abdita, vt teſtantur hiſtoriæ præſertim apud Nicephorum, qui etiam refert Lucianum Martyrem conſtrictum vinculis humi jacentem adhibito proprio pectore loco Altaris ſacrificaſſe. Idem teſtantur Theodoretus, Caſſianus, Damaſc: Et ut S. Cyprianus Ep. 62. & S. Aug. Ep. 118. docent non præcepiſſe nobis Chriſtum has omnes circumſtantias quas ille obſervavit, ſed tantùm illas quæ ad ſubſtantiam Actûs pertinent, alias Veſperi & non iejunis & coram duodecim celebrandum eſſet Sacrum, ſicut illud celebravit Chriſtus. Exemplum ergò Chriſti, quia ſcilicet diſtribuiſſet hoſtiam diſcipulis manducandam, facit quidem rem licitam, ſed non præceptam. Deindè præceptum audiendi Miſſam diebus Feſtis & Dominicis impoſitum omnibus fidelibus, eſt antiquiſſimum, at nullum unquam fuit præceptum omnibus diebus Dominicis & Feſtis communicandi; ſed olim tantùm ter in anno, nunc verò ſemel. Vndè nullum præceptum extat aliud, ut qui audit Miſſam etiàm communicet in illa per ſumptionem Euchariſtiæ, cùm etiam adſit alius modus communicandi, ſcil: ſpiritualiter per participationem fructuum Sacrificij. Tùm tandem; quia Miſſas privatas laudat Concilium Trid. ſeſ 22. C. 5. dummodò in ipſis ſaltem ipſe Sacrificans communicet. Dico

Dico 2dò. Missas pro defunctis in purgatorio existentibus sanctè celebrari. Probatur ex antiquissimo Usu Ecclesiæ & traditione PP. de quo S. Augu. Tom. 10. serm. 37. de verb. Apost. C. 2 sic ait. *Orationibus verò S. Ecclesiæ, & Sacrificio salutari, & Eleemosynis, quæ pro eorum Spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adjuvari, ut cùm eis misericordiùs agatur à Domino, quam eorum peccata meruerūt. Hoc enim à Patribus traditum universa observat Ecclesia, ut pro eis, qui in Corporis & Sanguinis Domini Communione defuncti sunt, cùm ad ipsum Sacrificium loco suo commerantur, oretur: & pro illis quoq; id fieri commemoretur.* Item Tom. 1 l. 10. Conf. cap. 12. ut supra paulò. S. Cyril: ad Carthag. Ep. 66. *Episcopi Antecèssores nostri statuerunt salubriter, nè quis &c. ac si quis hoc fecisset non offerretur pro eo, nec Sacrificium pro dormitione ejus celebraretur. Neq; enim ad altare DEI, meretur nominari.* S. Chrysost. hom. 3. in Ep. ad Phili. *Non frustra hæc sunt ab Apostolis constituta, ut in venerandis atq; honorificis mysterijs memoria eorum fiat, qui decesserunt. noverant enim hinc multùm ad eos utilitatis accedere, eo enim tempore, quo universus cætus supplicat, quomodò DEUM non placabimus pro eis orantes*; & similia habet, Hom. 21. in Acta Item Hom. 14. in Ep. 1. ad Cor. Plura patebunt infra ex libro 2. Machab.

CAPUT V.

De Purgatorio.

HÆc materia ex quo multa præscienda supponit, in quibus disconveniunt à nobis Sectarij, ideò priùs de his.

Nota 1mò Nomen Purgatorij seu ignis expiatorij apud SS. Scripturam & Patres venire non tantùm prolo-

proloco & carcere vel pæna temporali debita post mortem, sed etiam hoc nomen usurpatur & dicitur de Christo & Passione ejus ut Hebr. 1 *Purgationem peccatorum faciens*. Item dicitur etiam hoc nomen, de expiatione temporali per miserias hujus vitæ, ut Malach. 3. *purgabit Filios Levi, & colabit eos, quasi aurum*, sic exponente S. Hier. istum locum. Item nomine Purgatorij significatur rigor Iudicij Divini, ut Deut 4. 24. *DEUS ignis consumens est* & Ps. 96. *Ignis antè ipsum præcedet &c.* Hinc est, quod propter diversam significationem nominis Purgatorium, multas evadant authoritates tàm S. Scripturæ, quàm PP. convolando ad Purgatoriumseu ignem aliquem & ad aliquam aliam significationem ex prænominatis, explicandoq; illas authoritates loqui de alio ignè, & non de nostro, quem asserimus expiatorium animarum post mortem.

Nota 2dò. Præter mortalia peccata digna pænâ æternâ dari quoque venialia seu levia, digna aliquâ pænâ temporali de quo Prov. 24. 15. *Septies in diem justus cadit & resurgit, impij autem corruunt in malum.* Et S. Aug. docet minuta peccata esse remissibilia per Orationem Tom 10. Serm. 41. de temp. & l. 1. de peccatis c. 7. Item de nat. & grat. C 36. & 38. & alibi pluries. S. Hier. deducit hoc ex illo Matt. 5. 26 *Non exies hinc, donec reddas ad novissimum quadrantem.*

Nota 3tiò. Licèt Passio Christi sufficiens ex se sit ad Purgationem peccatorum, etiamsi essent mundi infiniti, seu ad satisfactionem pro ipsis; non tamen in effectu salvat & purgat omnes; Patet enim quòd multi cùm peccatis suis damnentur. Itaque contra Hæreticos, (qui ut Purgatorium negent post mortem, docent pro purgatione sufficere solam Passionem Christi) dici debet, quod præter hoc Purgatorium

sc: Passionem Christi, sit necessarium aliud hominibus ad salutem completè consequendam, & ad delenda peccata, & ut aliquid habeant fideles per quod ipsis meritum & satisfactio Christi applicetur. Atque sic ad delenda peccata applicatur Passio Christi per Sacramentum Pænitentiæ: Cùm autem Pænitentia supponat actus & dispositionem pænitentis, hæc verò major aut minor solet esse; contingit proindè, quòd pænitens non applicet sibi tàm copiosè Passionem Christi, vt sufficiat illi pro satisfactione totius pænæ temporalis, sed tantùm in parte Neque id quidpiam obstat, infinitæ satisfactioni Passionis Christi, quòd quis propter minora merita, quibus sibi applicavit meritùm Christi, obtineat minorem gloriam quàm alius juxta illud Ioan. 14. 2. *In domo Patris mei mansiones multa sunt*, quod S. Aug. sic explicat de diversitate gloriæ juxta diversitatem meritorum.

Nota 4tò. Remissâ mortalis peccati culpâ, non semper liberari pænitentem à tota temporali pæna, in quàm misericors DEVS ut simul esset justus, commutavit illam æternam. Hoc Patet. Quia dimisso peccato originali per Baptismum reliquit temporales miserias & mortem. Patet id in Moyse, Aaron, Davidè, quos dimissis eorum culpis, pænis temporalibus subjecit pro eodem peccato. Vndè Eccl: 5. monemur. *De propitiato peccato noli esse sine metu.* Ps. 98. 8. *DEUS tu propitius fuisti eis* (& tamen additum est) *& ulciscens in omnes ad inventiones eorum.* De satisfactionibus post remissum peccatum plura habentur in PP. in Clemente Can. 1. Apostolorum. Cypr. Carth. Ep. 66. & 67 ad lapsos. Præsertim S. Aug. Enchi C. 70. ait. *Per Eleemosynas est propitiandus DEUS pro peccatis præteritis, nemini enim laxamentum dedit peccandi, quam vis miserando deleat jam facta peccata; si non satisfactio congrua negligatur.*

Et

Et ulterius ostendit ibi, quomodò oratio Satisfaciat pro venialibus, multaq; similia scripsit ibidem C. 65. Item in Ps. 50. proposito peccato & pænitentiâ David, Planè per totùm, ait tandem; Implora misericordiam, sed attende justitiam; misericordia est ut ignoscat peccanti, justitia ut puniat peccatum. Quid ergo? Quæris misericordiam; peccatum impunitum manebit? Respondeat David & dicat Non Domine: Non erit impunitum peccatum meum. Novi justitiam ejus, cujus quæro misericordiam; non ideò impunitum erit; sed ideò nolo, ut tu me punias, quia ego peccatum meum punio, ideò peto ut ignoscas &c.

Forbesius Anglicanus Academicus in sua Pseudo Theolog. l. 12. & 13. objicit Catholicis Bellarmino præsertim cujus nitebatur confutare doctrinam, inquiens: Vos Romani abutimini exemplo David: cùm S. Augustinus l de peccatis & meritis C. 30. doceat: Illa mala fuisse immissa Davidi post pænitentiam ad hoc tantùm, ut pietas illius exerceretur atq; probaretur. Imò iste Sectarius universaliter respondet omnia mala post pænitentiam, non immitti à DEO ut Iudice vindicante, seu ad pænas: sed uti à Patre vel medico, ad præservandum ab ulteriori lapsu vel ad augendam Iustitiam seu merita ipsorum, multaq; Loca ex S. Aug ex eodem libro insinuat, sed textus non citat. Huic ergo Sectario. ℞. commentitiam esse interpretationem ejus, ut potè è diametro contrariam S. Doctori nuper adductam; ubi ex proposito illa Historia Davidis explanatur plusquàm diligenter Vndè non sinè Mysterio S. Doctor, usus est terminis justitiæ, pænæ; quæ omnia inferunt DEUM respectu pænæ peccati, nedùm esse Medicum vel Patrem, sed etiam justum Iudicem. Imò ad finem ipsum textûs adducti per Sectarium, talia habentur: *Mortem corporis propter peccatum DEUS inflixit, &*

post peccatorum remissionem propter exercendam iustitiam non ademit. Verùm quidem est, quod S. Aug. aliquibus in locis, & alij PP. doceant mala hæc v g mortem immitti à DEO, ad alios etiam fines varios, ut ad præservandum à peccatis, ad augenda merita, si sustineantur patienter, ut eleganter tetigit hoc S. Aug. Tom 9. in Ioan. 21. Cæterùm non sequitur, quòd etiàm interdùm non immittantur in pænam satisfactoriam peccati; cùm sparsim in alijs ll. hoc doceant citati etiam Patres, ut ostensum.

Instat idem Sectarius. S. Aug. ser. 37. de verbis Domini: *Manens* (Christus) *iustus, factus est mortalis, suscipiendo pænam, non suscipiendo culpam & culpam delevit & pænam.* Infert ille, Ergò nullam fieri pænæ reservationem, semel dimissâ culpâ ℞. neg. consequentiam. Sicut enim non sequitur: Christus delevit culpam Ergò nulla defactò remanet culpa delenda per applicationem Baptismi, & aliorum Sacramentorum in virtute Passionis Christi, ita pariter non sequitur, Christus delevit pænam Ergò nulla remanet pæna delenda per opera satisfactiora, quibus applicetur nobis satisfactiò Passionis Christi. Imò verò: Vndè est illud Pauli 1. Cor. 1. 24 *Adimpleo illa quæ desunt Passioni Christi in carnè mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia,* Tandem Forbesium convinco propriâ ipsius doctrinâ, Ille enim l. 13. C. 3. n. 6. versando explicationem S. Aug. L. 20. de Civ. in illud Malach. 3. de igne conflatoriò in die Iudicij admittit, allegans etiam S. Aug. quòd ex his Prophetæ verbis, evidentiùs appareant Purgatorij pænæ, futuræ in igne, quæ Filios Levi, Sc: ipsam DEI Ecclesiã purgabunt. ℞. itaq; ex Sectariò. Quid ille purgabit ignis, si nulla secundùm ipsum restat post dimissam culpam pæna? Vel si tùm reperietur pæna igne purganda, non obstante quod Christus deleverit & cul-

culpam & pænam; Idem dicendum & defactò, idq; ob omnimodam paritatem. His ergò præscitis, & fundatis.

Dicò. De fide esse dari Pænam Purgatorij, animasque ibi degentes posse juvari.

Probatur 1mò. Quia hoc ipsum sequitur ex prænotatis. Si enim verùm est post remissam culpam restare pænam temporalem, seu satisfactionem, multos autem contingit mortè præveniri; antequam eluant debitùm: sequitur omninò in altero sæculo, illud debitum esse talibus eluendùm, per aliquam pænam temporalem. Nec valet quod volunt Adversarij, purgari à talibus peccatis morientes in his, vel ipsâ morte, Vel fide propriâ, vel non imputatione delicti. Tum quia infideles etiàm moriuntur, nec tamen purgantur per mortem. Tùm quia multi moriuntur repentè; adeòq; sinè omni actu fidei elicito; qui juxta Lutheranos etiàm requiritur ad hoc, ut alicui non imputetur delictum.

Prbatur 2dò. Quia, teste S. Aug. de hæresi damnatus fuit ut hæreticus in antiqua Ecclesia Aèrius, qui Orationes fidelium negabat prodesse defunctis, quòd etiàm damnatum postea fuit in Waldensibus, Albigensibus, & alijs hæreticis.

Probatur 3tiò. 2. Machab. 12. 46. legitur de Iuda, quod factâ collatione miserit pecuniam Ierosolymam, in Sacrificia pro mortuis explenda. Vbi addit scriptura: *Sancta ergo & salubris est cogitatio, orare pro Defunctis, ut à peccatis solvantur.* Quia verò Sectarij tàm claro urgente eos Testimonio negare solent duos Libros priores Machabæorum esse Canonicos, adeoq; non concludere in materia fidei; non obstante quod ab aliquibus Patribus citentur in materia morum propter exempla fortitudinis & similia. Isti ideò exproposito Libri duo (sicut & alij non-

nonnulli ut Tobiæ, Iudith, Iob, Ecclesiastici quos quoque repudiant Sectarij) probantur esse Canonici. Nam primò Sancti & venerandi dicuntur Machabæi in Canonibus Apostolorum, conscriptis à S. Clem. l. Can. 88. Canonici quoq; dicuntur ab antiquo Concilio Carth. III Can. 47. à S. Aug. l. 18. de Civ. C. 36. præsertim l. 2, de doct. Christiana C. 8. ubi recensito toto Canone Librorum, subdit: In his omnibus (ubi & librum de Machabæis) inquit: libris timentes DEUM, & pietate mansveti, quærunt Voluntatem DEI. Undè est, quod S. Doctor præcitato loco Machabæorum probet suffragia mortuorum l. de cura mortuorum. Nec obstat, quod D. Hier. Præf. in Libros Salomonis dicat illos non esse tantæ authoritatis, ut ad Ecclesiasticorum dogmatum valeant authoritatem. Quia quomodò id sit intelligendum, explicat se sub finem l. 2. ad Rufinū. *Non quod* (inquit ipse) *sentirem, sed quid illi*) de Rabinis Hæbreis loquens.) *contra nos docere soleant.* Nam sciendum est, quod apud Hebræos aliqui, libri, ut Ecclesiasticus Esdræ, Sapientia, Machabæorum (quod notat Cottoneus) non dicebantur Canonici; quia Iudæi post reditum excaptivitate Babylonica, nè aliquis spurius inter Sacros subreperet liber, Indicem eorum posuerunt in Arca conscriptum secundùm numerum literarum Hebræarum, & hos tantùm dicebat Canonicos Ecclesia illorum: inter istos omnes libros Machabæi, Esdæ, ut potè posteriùs conscripti non habebantur. Undè S. Aug. l. 18. de Civ. c. 36. hoc adnotavit: *Machabaorum* (inquit) *Libri, quos non Iudæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet.* Ex quo Collige, quòd alius sit Canon Librorum apud Hebræos, alius in Ecclesia moderna. Quod autem in Operibus Cypr. Carth. in expositione Symboli à Rufino facta dicitur, aliquos libros ut Machabæorum non habere

autho-

authoritatem ad confirmandam fidem? Dubium est nè fortè Impressio ut potè Authore & Typographo hæretico sit falsificata. Et quidquid sit de hoc, dicendum est, quod cùm iste Cyprianus circa tempora plena persecutionum vixerit sc: circa annum 259. non dùm fortè ei innotuerat ab Ecclesia determinatio de Canone Librorum Sacrorum, quod tamen sequentibus sæculis factum esse constat ex S. Aug. & Hier. sup. citt.

Probatur 4tò. Quia etiam in lege veteri profitebantur Hebræi, & credebatur etiam ex scriptura Purtorium, seu locus purgationis temporalis post mortem, ut constat ex diligentissimis interpretationibus Rabinorum.

Probatur 5tò. Matt. 5. dicit Chistus: *Esto consentiens adversario tuo cito, nè fortè tradat te Adversarius Iudici, & Iudex tortori, & mittaris in carcerem. Amen dico tibi, non exies indè donec reddas ad novissimum quadrantem.* Perquem quadrantem intelligit S. Hier. hic, & alij PP. minuta peccata. Et quamvis aliqui PP. aliquandò istum locum de quadrante in alio sensu explicent. Imò ipse S. Aug. Tom. 5. l. 21. de Civ. C. 13. intelligit illum locum de pœnis & miserijs in vita. Universaliter tamen ait: *Temporarias pœnas aliqui in hac vita tantùm, alij post mortem, alij & tunc & nunc, verumtamen antè Severissimum judicium patiuntur.* Nè verò putetur S. Aug. loqui de illo igne purgante, qui præcedet Iudicis adventum (quâ evasionè utitur Forbesius) statim ibidem subjungit S. Doctor. *Non autem veniunt omnes ad sempiternas pœnas, quæ post illud judicium his sunt futuræ, qui post mortem sustinent temporales.* Similiter hunc locum explicat l. 2. nov. & ver. test. C. 2. 23.

Probatur 6tò. Ubi Christus cùm dixisset de pec-

cato in Spiritum S. ait: *Non remittetur neq; in præsenti neq; in futuro sæculo.* Ex quo loco S. Aug. l. 21. de Civ! C. 24. & c. 13. concludit dari remissionem alicujus peccati in futuro sæculo, *alias* (inquit) *quomodò de quibusdam veraciter diceretur, quòd non eis remittatur, neque in futuro sæculo, si non essent, quibus non in isto, tamen remitterentur in futuro sæculo.* Sic argumentatur & S. Greg. l. 4. dialog. c. 39. ap. Boverium; Sed hujus peccati non datur remissio in inferno, ubi nulla redemptio; non etiàm in cælo, quò nihil coinquinatum intrat Ergò dabitur status medius in quo remittatur: & hoc erit Purgatorium.

Probatur 7mò. 1. Cor. 3. Apostolus. *Unusquisq; opus quale sit ignis probabit, ipse autem salvus erit quasi per ignem*, quem locum de Purgatorij pænis interpretatur S. Aug. l. de fide & oper. C. 16. in Enchir. C. 69. ubi quam vis ille in decursu Capitis 68. interpretetur per ignem significari tentationem ad malum, statim tamen ad initium C. 69. intelligit de igne Purgatorij post hanc vitam; inquit enim: *Tale aliquid etiàm post hanc vitam fieri incredibile non est, nonnullos fideles per ignem quendam Purgatorium; quantò magis minusq; bona pereuntia dilexerunt, tardiùs citiusq; salvari.* Idem sentit de hoc In Ps. 67. ad initium.

Probatur 8vò. Act. 2. habetur: *Quem DEUS suscitavit à mortuis* (scil: Christum) solutis doloribus inferni. Ex quo loco S. Aug. Ep. 99. ad Evodium eruit, quod quidam defuncti fuerint tunc liberati à doloribus, quos temporaliter, non æternaliter patiebantur. His adde 1. Cor. 15. *Quid facient qui baptizantur* (S. orant, laborant) *pro defunctis, si mortui non resurgunt, ut quid baptizamur pro illis.* Ita exponit Dyon. Carth. in hunc locum. Item 1. Philip. 2. 10. *In Nomine JESU omne genu flectatur,*

cale-

cœlestium, terrestrium, & infernorum: hoc enim ultimum non potest intelligi de inferno propriè sumpto, nam Ps. 6. dicitur. *In inferno quis confitebitur tibi?* Undè restat intelligendum de inferno impropriè sumpto. de animabus Purgatorij, quæ inibi etiam laudant DEUM orando pro suffragantibus sibi.

Probatur 9nò. Ex antiquis PP. ab Hæreticis receptis: In Liturgia Iacobi. Andreæ, Marci Matthæi, Petri habetur & ordinatur oratio pro Defunctis in somno pacis, sc: in gratia, ut eis concedat DEUS refrigerij domum. S. Clemens Discipulus Petri, Ep. 1. testatur quotidianam fuisse prædicatioem S. Petri, & inter mandata fuisse, ut diligenter mortuorum exequias peragerent, & Eleemosynas profunderent. Idem habet l. 8. Constitutionū Apostolicarum & c. 9. *Pro eis qui quieverunt in fide, oremus.* Et cap. 41. *Qui animam Defuncti suscepit, remittat ei (DEUS) Omne peccatum, & collocet eum in regione vivorum.* Plura alia adducit Boverius ex S. Dyon. Areop. Tertul. Origene, Athan. Basil. Cypr. Carth. Ep. 25. ait: *Aliud est ad veniam stare, aliud ad gloriam pervenire, aliud missum in carcerem non exire indè, donec ad minimum solvat quadrantem, aliud statim fidei virtutisque accipere mercedem, aliud pro peccatis longo dolore cruciatuum emendari, & purgari in igne.* Iuvat D. Ambrosi. Ep. 8. ad Faustum, & Liturgia Mediolanensis. S. Hieron: C. 1. contra Pelag. c. 9. ait: *Impios & prævaricatores perire perpetuò & Christianos si præventi fuerint, asserit salvandos esse post pœnam.* Chrisost: hom: 21. in Act: Apost: *Non frustra oblationes pro defunctis fiunt, non frustra preces, Eleemosynæ; hæc omnia Spiritus disposuit, volens ut mutuò nos juvemus.* Et infra statim explicat, quid sit mutuò juvari. Idem habet Hom: de Sacerd. C. 4. Item Hom. 32. in Matt. Hom. 61. in Ioannem,

Orat. 41. Hom. 69. ad pop. Antioch. ait: *Non temerè ab Apostolis* (advertat Sectarius, qui dicit figmentum esse Papisticum) *hæc fuerunt sancita, ut in tremendis Mysterijs &c.* Vide citt. C. sup. eodem tenore de Missis pro Defunctis. Imò omnia ibi adducta ex Patribus confirmant totam doctrinam de Purgatorio. S. Augustinus cæteris uberior est; vndè præter jam dicta ex ipso, in comment: locorum S. Scripturæ integrum scripsit Tractatum de cura pro mortuis. Item ser. 4 ad Tract. per longum prosequitur affectuosam exhortationem ad suffragandũ pro mortuis. In Ench: C. 11 Suffragia nostra multùm ipsis prodesse docet. Tandem l. 9 Cont. C. 13. orat pro peccatis Matris suæ defunctæ. Boverius producit 13 Concilia etiam antiquissima quæ ordinarunt modum orandi pro Defunctis.

Sectarij ad eludendam vim, tàm evidentium authoritatum plures excogitarunt modos; Forbesius sci Maysertus, & Pseudo-Commentator S. Cypriani, & quidem. imò Authoritates tàm scripturæ, quàm Patrum, in quibus asseritur ignis quidam purgatorius peccatorum, volunt intelligi illas symbolicè loqui pro igne Spiritûs S qui etiam dicitur ignis in scriptura; quia purgat per gratiam pænitentiæ à peccatis animã. Undè Forbesius S Basilij, authoritatem (quæ solet allegari taliter pro Purgatorio: *Si igitur per Exomologesim detexerimus peccatum, jam succrescens gramen arefecimus, dignum planè quod depascatur & devoret purgatorius, ignis*) explicat de igne Spiritûs S. sed quamvis certum sit nomine ignis quandoq; significari Spiritum S. Et dato, quod nonnulla loca ex citatis in sensu illo Symbolico intelligi possint: tamen ex modo loquendi scripturæ & Patrum constat, quòd eadem loca in sensu proprio, & principali sumantur, & de aliquo alio proprio ignè, non solùm symbolico.

Tùm

Tùm quia Patres citati illum ignem, de quo ibi interpretantur vocant punitivum, effectum iræ & Iustitiæ Divinæ, quàm Iustitiam Divinam loca illa scripturæ inculcare volunt fidelibus; hæc autem dici non possunt de igne Spiritûs S. seu de gratia: hæc enim non est ultrix, sed potiùs remissiva peccati, & effectus Bonitatis DEI miserentis. Tum quia in illis Locis Scripturæ, quæ tractant de Iudicio Divino; potestatem omnem Iudicij traditam esse, non Spiritui S. sed nominatim & singulariter Filio legitur in Evangelio. Tùm quia si in alia S. Basilij authoritate, juxta explicationem Forbesij, veniret nomine ignis, non ignis Purgatorij, sed Spiritûs S. tunc sensus illius esset talis: Depascendum fore peccatum ab ignè Spiritûs S. per pænitentiam, si non fuerit detectum seu deletum per exemologesim sen pænitentiam, sc: per Spiritum S. Et sic ridiculè diceretur idem de se ipso. Ergò S Doctor per depascentem ignem intelligit aliquem distinctum ignem ab igne Spiritûs S. qui requiritur quoque ad exemologesim, id est pænitentiam.

2da. Elusio Sectariorum est dùm dicunt authoritates illas intelligendas de igne alio præter Spiritum S. nimirum de igne materiali, qui præibit diem Extremi Iudicij, de qua Malach. 3. & qui habebit vim punitivam, simulq; purgativam. Non verò loqui de igne (prout Vos Romani vultis) purgatorio, juxta sensum eorum. Contra est 1mò In illo igne, de quo loca Scripturæ loquuntur adducta, S. Aug. docet aliquos citiùs aliquos tardiùs liberari. S. verò Cypr. longo tempore aliquos ibidem cruciari. Hæc autem non conveniunt igni, qui præcedet Iudicij diem, qui erit ultimus & unicus. 2dò. Ille dies judicij si est purgatorius. Quæro: quem purgabit? non damnandos: hi etenim nunquam purgandi, sed æternaliter affligendi sunt, si verò purgabit salvandos,

rurfus Q. quos? Non illos qui jam fuerunt antè diem Iudicij in Cælo, alias cùm macula intrassent in Cælum. Restat itaque quod ille ignis purgabit aliquos id est justos, (ut fatetur ipse Forbes: ex S. Aug. in hunc locum Malach. scribente) qui justi ipso die Iudicij morituri sunt, mox resuscitandi. Igitur quâ ratione hi justi non obstante satisfactione Christi infinitâ (& alijs quæ nostro Purgatorio opponunt Sectarij) habebunt, quod purgandùm erit in illo ignè, antequàm ingrediantur in Cælum. Eâdem ratione necesse est, ut & defactò justi nonnulli, non aliâ ratione ingrediantur cælum, nisi simili purgatorio emundati igne. Et hæc instantia à pari potest multùm probare assertum principale nostrum, & valere ad solvenda penè omnia, quæ possent opponi à Sectarijs. Tertiò. S. Hier. in C. 2 Ioëlis ab ipsomet Forbesio citatus sic ait. *Diem autem Domini, diem intelligite Iudicij sive diē exitûs uniuscujusq; ex corpore quod enim in die Iudicij futurum est; hoc in singulis die mortu sua*

3tia. Evasiò Sectariorū est, quod per ignem in locis scripturæ allegatis intelligantur ærumnæ mortis, & tribulationes in hac vita. Contra hoc dico; quod quamvis certum sit aliquos PP etiam in Comment. loca scripturæ citata ita intelligere; nihilominus plerique ex ijsdem subdunt ibidem; & quidem magis propriè ad literam significari quoq; alium ignem post mortem, ut patet ex allegationibus eorundem adductis ad loca citata.

4ta. Evasio Sectariorum dùm ajunt. quod ex authoritatibus de Oratione, Sacrificijs, Eleemosynis non rectè concluditur dari pænam Purgatorij post mortem, animasque illas posse à nobis juvari. Quia (inquiunt) in Liturgijs antiquis & alibi apud PP. reperiuntur Commemorationes, sacrificia pro Martyribus, & ita S. Hier. orat pro Paula. Ambrosius requi-

requiem optat Satyro, quos tamen Sanctos, incontaminatos, & in cælo jam existentes, adeoq; nullo juvamine indigentes ipsimet prædicant. Imò dicunt; Quia universaliter oratis pro Defunctis, oratis quoq; & prodamnatis; non tamen illos sequitur esse juvandos. Proindè dicunt Sectatij illas memorias Defunctorum adhibitas fuisse potiùs ad utilitatem nostram, sc: ad excitandum in nobis timorem mortis, Iudicij ad spem beatitudinis, & similia quorum meminit Epiph. hær. 75. Recenciores audent plura, dùm Romanos accusant, quòd in hoc lucra quærant temporalia, propriam utilitatem, sed calumniam patienter interea præstat sustinere. Contra est imò ad principale, S. Aug. docet diversum esse finem & effectum orationum & Sacrificiorum pro defunctis baptizatis. Enchir C. 110. dùm ait: *Pro valdè bonis gratiarum actiones sunt, pro non valdè bonis propitiationes sunt, pro valde malis, etsi nulla sunt adjumenta mortuorum qualescunq; sunt consolationes vivorum; quibus autem prosunt; aut ad hoc prosunt; ut sit plena remissio, aut certè tolerabilior fiat ipsa damnatio, intellige ad pænas temporales, idq; per earum diminutionem.* S Cyp. quoq; habet duplicem ordinem dormientium, quorum in Sacrificio fit mentio, unum Sanctorum, qui ideò commemorantur, ut pro nobis DEUM orent; alterum quorum necessitati nos oratione & sacrificijs subvenimus Prætereà ex supra allegatis authoritatibus Patrum, constat admitti orationes pro mortuis, nedùm in utilitatem nostram, sed præsertim in juvamen, & utilitatem defunctorũ, quod ipsum adnotatum (non sinè Mysterio) lineolis reperies in Forbesio ipso. Ergò ex oratione pro Defunctis eo sensu, quo laudatur & commendatur à PP. benè concluditur Purgatorium, & orare pro illis nedùm nobis utile est, sed etiam Defunctis. Deindè

illas

illas Orationes, quibus petitur requies SS. MM. vel existentibus in Cælo conformiter ad cit. S. Aug. dico potiùs esse gratulationes, vota, gratiarum actiones, & quandam complacentiam in gloria eorum, per quam accenduntur desideria nostra ad Patriam æternam.

Objectio 1ma. Forbesius (ut specie tenùs videatur deferre authoritatibus SS. PP.) allegat eorum authoritates & ipsius S. Scripturæ probando duas tantummodò esse classes, contemnentium sc: jussa DEI, & timentium DEUM, pænitentium & non pænitentium in morte. Hi flammis traduntur, illi autem Cælo donantur, juta Eccl: 11. *Lignum in quocunq; loco ceciderit; ibi erit, sivè ad Austrum, sivè ad meridiem.* 2dò. Quia Patres communiter docent, post mortem nullum pænitentiæ esse locum 3tiò. S. Cypr. cùm nonnullis asserit, omnium hominum animas, quæ gehennæ ignibus non mancipantur, eas omnes moriente corpore ad Christum ire, & cùm eò regnare. Deindè multi Patres gratulantur benè mortuis ingressum in Cælum, proindè & ipsi dùm viverent viscerosè desiderabant cùm S Paulo, dissolvi à Corpore; quod certè non facerent, si imminentes sibi præviderent pænas. 4tò. Quia Greg. Nyss. reprehendit luctum super statum mortuorum illo Pauli. *Nolitè contristari de dormientibus.* Ex his ergò omnibus vult Forbesius inferre Patres implicitè negâsse Purgatorium. Cæterùm negatur ista ratio: stat enim contra hanc divinationem, de mente Patrum Opposita quo ad hoc opinio eorum. Vt visum supra in allegatis. Porrò in primo loco citata PP. doctrina non asserit, quod altera classis, qui cùm addito: *statim*; post mortem cælo donentur. Sed prudenter abstraxit ab hoc termino; cùm etiam animæ Purgatorij cælo sint procertò donandæ, sed tùm primùm, dùm compleverint pænam. Illud autem ex Ecclesiastico, est

respe-

respectivè ad statū gratiæ, vel odij DEI finalis, quæ sunt immutabilia post mortem: animæ Autem Purgatorij spectant ad statum gratiæ finalis, in qua decesserunt. In 2dò loco, est sermo Patrum de Pænitentiâ personali, seu de actu personalis pænitentiæ; quod Patet ex verbis S. Cyrilli & Hier. allegatis hic à Forbesio, sic enim ait: *In peccatis mortui, de cætero tempus exomologeseos* (quod significat personalem Confessionem) *seu agendæ penitentiæ non habent.* Sed non est sermo eorum de pænitentia per satisfactionem & pænam realem. In 3tiò loco dicitur vel de animabus pefectè justis in hac vita purgatis, vel quia etiam nomine Purgatorij venit infernus quandoq;. Verùm etiam adhuc erit, quod omnes animæ moriente corpore eant ad Christum, quæ gehennæ ignibus, (sivè gehenna propriè, sivè non propriè sumatur pro Purgatorio) non mancipantur. Et hoc solùm Patres in illis locis docere volebant, contra illos qui asserebant nonnullorum animas, sinè omni pæna in aliquo loco extra cælum suaviter degere antè diem Iudicij, ut & defactò sustinet non nullorum Theologorum opinio de parvulis non baptizatis. Multi tamen ex illis hoc improbant & docent, etiam tales pro solo originali non expiato justè ad pænas inferni damnari. Deindè poterant aliqui desiderare sibi & alijs mortem, ut potè finem periculorum peccati, accelerationem Visionis Beatæ non obstante, quod scirent imminere sibi pænas Purgatorij; in quibus pænis conformantes se justitiæ Divinæ vindicanti complacent sibi ex hac suppositione & laudes decantant, in quorum persona (juxta interpretationem Nostri S Bernardini Senens Tom. 4. serm. 15.) dixit David: *Misericordiam & judicium Cantabo* Ps. 100. In 4tò loco locuti sunt Patres contra eos qui more Ethnicorum desperantium de resurrectione, vel non credentium vitam æter-

nam

nam, lugébant immoderatè mortuos. Quia notanter dictum est Pauli *ut non contristemini: sicut & cæteri qui spem non habent.* Vndè S. Greg. Nyss. oratione quàm facit de non dolendo de mortuis, nihilominùs addit, & dicit: animam post obitùm per purgatorij ignis fornacem expiatam, redire ad felicitatem.

Objectio 2dà. S. Aug. l. 21 de Civ C. 26. ait: Post illius sanè corporis mortem, donec ad illam (sc: ultimi judicij diem) veniatur, si hoc temporis intervallo Spiritus Defunctorum ignem ejusmodi sentiant, qui ejusmodi ædificia venialia secum portaverunt non redarguo, quia fortè verùm est. Potest quippè ad istam tribulationem pertinere ipsa mors carnis. Imò eandem tractans materiam in Enchir. C. 68 utitur termino dubitativo. Non est (inquit) incredibile &c. Hinc inferunt ex hac dubitatione S. Aug. Purgatorium non esse de fide. Ad hoc Bellarminus ℞. non dubitare S. Augustinum de substantia Purgatorij, sed de modo & qualitate illius ignis. Quia tamen hæc ℞. videtur esse Sectarijs voluntaria, & nec ex antecedentibus, vel consequentibus toto illo capite indicata in quo nil agitur de modo, sed de probatione operum per ignem; Quarè ut hæc explicatio Bellarmini stabiliri possit, etiam ex ipsis verbis colligenda est. Dico alium fub esse modùm respondendi in ipsis etiam verbis S. Aug. Ibi enim S. Doctor, dubitat tantùm, an omnes illi, qui cùm venialibus decedunt, sentiunt purgatorium? non quasi nemo sentiat purgatorium. Sed quia fortè contingit, aliquos tàm modica in mortè habere venialia, quod ab eis per ipsam pænam mortis ejusq; angustias plenè jam purgati maneant. Patet autem hæc mens S. Doctoris ex hoc, quia causalem dubitationis suæ reddens subjungit hæc; *Potest quippè ad istam ignis tribulationem pertinere, etiam ipsamet mors carnis.*

Obje-

Objectio 3tia. Christus plenè Satisfecit morte suâ, tàm pro culpa, quàm pro pœna adeoq; ajunt illi ignem purgatorium esse injurosum passioni Christi. Item quòd apud DEUM non habeatur venia, & DEUS, juxta Innoc: Papam 3. c. Majores: opus imperfectionis non novit, propterea peccata, non ex partè, sed ex toto scil: quo ad culpam & pœnam dimittit. Quid ergò puniet ignis ille? sed hæc soluta sunt adæquatè supra Deindè quandò Sectarij explicando Patrũ contrà se adducta, dicebant mortẽ, tribulationẽ & similia intelligi per ignem Purgatorij. Quæro? ab illis, quomodò stabit cùm purgatione etiam tali satisfactio Christi, & illa non erit injuriosa morti Christi? Illud verò de non dimidiata venia, nòn quòd dimittatur simul culpa & pœna, sed docet quod peccatum, quo ad culpam non dimittatur absque alio & hoc ex ratione gratiæ Sanctificantis, in compossibilis cùm peccato, non autem eò, quòd non remittatur culpa, reservatâ. Aliæ Objectiones Sectatorium, possunt solvi ex jam dictis.

CAPUT VI.

De Indulgentijs.

PEr Indulgentiam hic intelligi remissionem pœnæ temporalis debitæ pro peccatis vi Pœnitentiæ jam remissis, quo ad culpam, factam extra Sacramentum, & concessam ex thesauro Ecclesiæ, id est satisfactionum Christi & Sanctorum, idq; tàm quo ad vivos, quàm defunctos. Has Lutherus blasphemo ore vocat scelaratissimorum Pontificum fraudes, Calvinus autem, dæmonis inventum. Quæ ut firmius stabiliantur, nonnulla pæmittimus, imò. Indulgentiarum virtus ad pœnæ temporalis remissionem, non

utem culpæ se extendit, quòd autem culpâ dimittatur pœnâ non remissâ dictū est supra. 2dò. Omne opus bonum præsertim pœnale ex Charitate factum, non tantùm esse meritorium gratiæ & gloriæ illi qui operatur, sed prætereà esse satisfactorium, seu suppletivum pœnæ debitæ peccatis. Quod patet in ipsa Passione Christi, quæ simul & merebatur nobis, & satisfaciebat pro nobis, & Tob. 12. dicitur: *Eleemosyna purgat peccatum*, (ecce satisfactio) *& facit invenire vitam æternam* (ecce meritum) 3tiò. Quòd tale opus, etsi quâ parte est meritorium gloriæ, non possit alteri communicari; sicut etiàm nullus est justus justitiâ alterius; cæterùm quâ parte idem opus est satisfactorium, benè potest prodesse etiàm alteri; & hoc ratione unius mystici corporis, & communionis membrorum Ecclesiæ de quo 2. Cor. 12. Ita ut unius indigentia alterius abundantiâ suppleatur. Nec obstat quòd Forbesius opponit; quod 1. Cor 12. dicatur solus Christus Mediator DEI & hominum; & illud S. Aug. Tr. 4. in Ioan. ubi ait: Et si Fratres pro Fratribus moriamur, tamen in fraternorum peccatorum remissionem nullius sanguis Martyris effunditur, quod fecit pro nobis Christus. Quia ℞. quòd sicut Sacramenta non obstante quòd Sanguis Christi dicatur medium primarium & formale salutis nostræ, tamen & illa dicuntur saltem instrumenta talia; quibus nostræ saluti applicatur Sanguis Christi. Idem à pari dicendum de satisfactionibus Sanctorum. Undè in his locis tantùm innuitur diversitas inter Mediatorem primarium & secundarium: quod collige ex textu sup: citt. S. Aug. ubi dicitur: Neque hoc ita dictum sit, quasi proptereà Christò Domino pares esse possemus, si pro illo usque ad sanguinem, usque ad Martyrium duxerimus. Plura habebis C. de Invocatione SS. 4tò. Quamvis certum sit, opus illud,

quâ

quâ parte meritorium est, obtinere ultrà sui condignitatem præmium gratiæ & gloriæ, de quo est illud Rom. 8. *Non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam*, & his similia. Tamen quâ parte est impetratorium & satisfactorium non consequitur ultrà condignum effectum suum; quasi verò remissio pœnæ temporalis, quæ debetur intuitu illius excedat illud. Et indè est, quòd multorùm eximiæ Sanctitatis opera pœnalia, etsi quâ meritoria vitæ æternæ, receperint præmium; tamen quâ satisfactoria sunt, nondùm de integro consecuta sunt fructum suum: multi enim ex ipsis caruerunt etiam venialibus (quod de B.V. MARIA, de Ioanne Baptista docent SS. PP.) alij verò tàm modica & parva commiserunt, ut pœnalibus & satisfactorijs suis operibus pœnam pro illis debitam superexcesserint. Numquid itaq; inania & impræmiata seu sinè effectu suo manebunt apud DEUM, qui capillos Sanctorum numerat & custodit?

Instat Forbes. Passio Christi solâ se, est sufficiens ad satisfaciendum pro mille mundis hunc tamen effectum quamvis defactò non consequatur, non dicitur inanis. Similiter discurrendum esset de SS. Operibus superabundantibus, ut non sint inania. Sed R. quia quòd Passio Christi superabundans actu non consequatur effectum ulteriorem, refunditur totum in carentiam indigentium, seu quod non sint plures mundi. Si autem opera superabundantia Sanctorum, quorum satisfactionibus, (ut mox dicetur) indigemus, quamvis pro nobis satisfecerit Christus, non consequerentur effectum suum, id eô ipso refunderetur in inefficaciam ipsorum. 5tò Infinitæ Passioni Christi minimè obstat, quod quis per opera alterius satisfactoria, vg. Sanctorum DEI, possit satisfacere pro pœnis temporalibus sibi debitis. Ratio est Tùm

 quia

quia pari ratione obstaret etiam infinitæ Passioni Christi, quòd etàm ipse homo suus, per propria opera pœnalia curaret satisfacere pro peccatis suis, ad quod exhortantur Luc: 3. *Facite dignos fructus pænitentiæ.* Tùm quia sicut infinitum meritum Passionis Christi, solùm & per se, non consequitur effectum suum in nobis, nisi applicetur per Sacramenta, vel per Opera meritoria in gratia DEI à nobis peracta; aliàs enim etiâm sinè Baptismo vi Solius Passionis Christi, & sinè operibus sequeretur salvandos esse homines, quòd neq; Sectarij asserùnt Ita quoq; satisfactio infinita Christi, non potest in nobis suum sortiri effectum, nisi applicetur vel satisfactionibus nostris, vel aliorum, quæ suum valorem totum habent ex vi etiàm satisfactionis Christi: adeòq; etiàm per hoc, quòd SS. Satisfactiones juvent nos, dùm nobis applicantur, minimè derogatur satisfactioni infinitæ, sicut neè per Sacramenta derogatur infinito merito Christi. Tùm quia non obstante infinitate Satisfactionis Passionis Christi dicit Apostolus Coloss. c. 1. *Gaudeo in passionibus pro Vobis, & adimpleo ea, quæ desunt Passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia* Et S. Aug apud Boverium f. 3 6. in Ps 16. *Tantùm ergò pateris, quantùm ex Passionibus suis, inferendum erat universæ Passioni Christi, qui passus est in capite nostro, & patitur in membris suis, id est in nobis ipsis ad communem hanc quasi Rempublicàm, hoc est Ecclesiàm.*

Dico imò Remissâ culpâ restare pœnam temporalem: Item opera bona & Satisfactiones superabundantes nedùm Christi Domini, sed & Sanctorum ejus manere apud DEUM in suo valore: & iste vocatur thesaurus Ecclesiæ; ex quo per legitimam dispensationem applicantur indigentibus satisfactiones illæ in remissionem pœnæ temporalis aliàs illis debitæ.

Et

Et hoc in re ipsa est Indulgentia, dicta ab indulgendo seu condonando. Probatur. 2. Cor. 2. *Nam & ego* (ait Paulus) *donavi, si quid donavi propter vos in persona Christi.* Hic Apostolus pœnam temporalem cuidam incestuoso condonat, indulget, remittit. Nè autem Sectarius intelligendum Apostolum, dicat eum loqui, quo ad remissionem pœnæ illius, quæ imponebatur talibus in foro externo Ecclesiæ, cui quisq; tenebatur obedire, non verò de remissione pœnæ in forro interno & DEO debitæ; ideò adducitur mens Patrum hujus loci Interpretum S. Hier. hic: Ego (inquit Paulus) *quod donavi non in mea persona, sed in Christi qui dixit: Quæcunq; solveris super terram, erunt & in cælis soluta.* Istis autem verbis tradita fuit Apostolis quædam particularis potestas quo ad forum internum, non autem purè civilis & quo ad forum externum, qualis est communis in quacunque Republica & congregatione hominum. Similia habet S. Chrysost. Hom: 4. *Donavi in Persona Christi, hoc est ad gloriam Christi, vel tanquàm Christo etiam id imperante.* Dyonisius Carth. *in persona Christi, vice & loco Christi, cujus Vicarij sumus, quibus & ipse suam potestatem commisit, & solvendi, itemq; ligandi virtutem largitus est.* Clem: Rom: Constit. Apostolicarum l. 3. C. 10. *Prohibetur Laico aliquod opus Sacerdotale, etiam benedictio sive magna, sive parva,* (per magnam intelligitur remissio culpæ, per parvam autem, remissio pœnæ temporalis) Cypr. de lapsis apud Bover. *Pœnitenti Operanti, roganti potest clementer ignoscere* (S. DEUS) *potest in acceptum referre, quidquid pro talibus & petierunt Martyres, & fecerunt Sacerdotes.* Et l. 6. apud eundem Bover. c. 13. ait. *Nec tamen, quia peccata largitione tolluntur* (attendat Sectarius, qui Indulgentias Romanas ut venales irridet & calumniatur) *dari tibi licentiã peccandi putes.* Citat Boverius etiam aliqua Concilia. Di-

Dico 2dò. Poteſtetem Conferendi Indulgentias eſſe collatam Papæ. Probatur illis verbis Chriſti Matt. 16. *Tibi dabo Claves* ex quibus patet omnem plenitudiuem poteſtatis Eccleſiæ promiſſam Petro ejuſq; Succeſſoribus: & id teſtantur SS. Epiph. Chryſoſt. & alij apud Bover. jam ſupra citati, Ac deindè promiſſam fuiſſe Petro, & deinde collatam hanc poteſtatem, dum ei dictum, *paſce oves meas* Ac deniq; ſi cuique fas eſt in alterum Satisfactionum bona conferre, uti facere voluit Moyſes pro remiſſione peccati populi ſui, quantò magis convenientius fuit, reliquiſſe Chriſtum poteſtatem quandam diſpenſandi ea, quæ quaſi derelicta ſunt, ad utilitatem Eccleſiæ, idq; ex tacita voluntate eorum, quorum ſunt opera, imò ex expreſſa ipſius Chriſti ſupremi Domini meritorum, omnium, cujus Paulus interpres fuit, dùm dixit 1. Cor. 12. *Unius indigentia alterius abundantiâ ſuppleatur.* Tertulianus etiã antiquiſſimus l. de pudic: C. 1. apud Boreium ait: *Audio eſſe edictum propoſitum. Pontifex S. Maximus, Epiſcopus Epiſcoporum dicit: Egò & machia & fornicationis delicta dimmitto pænitentiâ functis.* Et ſæculo III. legitur Sylveſtrum 1. petente Helenâ Imperatrice Matre Conſtantini Magni, ſacello S. Crucis Romæ erecto, conſecrato, reliquijs exornato, viſitantibus illud veniam peccatorum conceſſiſſe: hinc confundantur novatores, qui Indulgentias novitatis cujuſdam in Eccleſia arguunt.

Objectio 1ma. Ad Gal. 6. legitur ſic, *Unuſquiſque portabit onus ſuum*, Pænitentia autem eſt opus perſonale, adeòq; non ſupplebile per alium. Undè S. Aug. l. 2. de actis contra Manich. c. 8. *Si alio peccante alius pænitet, non eſt iſta prudens, ſed inſana pænitentia.* ℞. Quod ille Locus Apoſtoli principaliter ait, de retributione finali in die Iudicij, in quo judicio pro ſuis peccatis eſt puniendus quiſq; in ſuo

ſup-

ſuppoſito, ſi non fuerit pro eo ſatisfactum, ſivè per ſe, ſivè per alium. Reliqua autem cùm non poſſint intelligi, univerſaliter de quacunq; Pænitentia; alias nec ipſe Christus Dominus potuiſſet Satisfactivam pænitentiam pro nobis agere, tantùm ergò ſenſum habere debent, verba illa de Pænitentia ut attingit culpæ deletionem, quæ debet fieri per converſionem propriæ voluntatis ad DEUM; non autem de pænitentia ſatisfactoria: cùm etiam in humanis valeat ſolutio debiti ſivè per ſe, ſivè per alium fiat.

Objectio 2dà. Si Papa haberet poteſtatem per Indulgentias condonandi pænam totam etiam temporalem tunc exquo defactò non dat ſemper Indulgentias pleniſſimas ſed pluries dat limitatas, & nunquam applicat illas, ut valeant pro Omnibus ſimul animabus detentis in Purgatorio, per hoc ipſum contra legem charitatis graviſſimè peccaret, quia cùm benè poſſit, non ſuccurrat extremè indigentibus, de quo tamen à nemine ex Romanis Papa condemnatur. Item poteſtas ſi quæ eſt Papæ debet eſſe in ædificationem, non in deſtructionem Eccleſiæ: ex tali autem pænarum per Indulgentias condonatione, ſegniores fiunt fideles ad opera bona, & perſonales pænitentias; atq; ſic ſecuriùs peccant. ℞. quòd quamvis Papa facere poſſit, ad id tamen non obligatur: imò tenetur lege charitatis, & fidelitatis, quæ concernit prudentem diſpenſationem id non facere, nè fortè liberiùs vivatur à nonnullis ex ſpe veniæ, & pænæ facilè evadendæ, & ut per hoc ipſum ex parte provideatur neceſſitati indigentium, & ſimul caveatur commune periculum tàm ipſorum, quàm aliorum. Quòd autem, licet rariſſimè contingat abuti Indulgentijs, id non obſtat: quia non omni, quod rariſſimè, & potiùs ex voluntatis pravitate contingit, tenetur occurrere Papa, ſi aliter poſtulat fieri utilitas Eccleſiæ. Nam eti-

etiàm quandòq; contingit aliquem facilitari ad peccandum, eò, quod sciat se absolvendum per Confessarium suum (qui ignoraret talem pravitatem pœnitentis) & tamen hæc absolutiò licitè & laudabiliter alijs adhibetur, quidquid sit de illo pœnitente qualis rarò contingit, & debitè disponi per Confessarium meretur, ut verè pœniteat.

CAPUT VII.

De Cultu & Invocatione Sanctorum.

NOta ex S. Aug. contra Arianos C. 23. Honorare & adorare esse diversa, nam ut ille ait: *Honorat omnis qui adorat; non verò adorat omnis qui honorat.* Honoramus itaq; nedùm superiores nobis, sed etiam æquales. Adoratio autem exhibetur nonnisi potentiori & digniori & hæc consistunt non tàm in externa gesticulatione, quàm in actu interno submissionis debitæ & æstimationis excellentis virtutis ac dignitatis ejus, cui exhibetur. Potest auté exhiberi adoratio; vel in recognitioné supremæ super omnem Creaturam excellentiæ; & sic soli DEO est debita; & vocatur hic cultus Latriæ. Vel ob minorem aliquàm aliam excellentiam, & hoc majorem & minorem, uti aliquandò usurpatur in scriptura v. g. 1. Reg. 24. & 25. diciturq; cultus duliæ vel hiperduliæ, ut ergò lentè & successivè procedamus in nostra materia.

Dico 1mò. Animas Defunctorum in gratiâ jam nihil purgandum habentes statim frui Visione DEI.

Est contra aliquos, etsi paucos Hæreticos, qui ideò negant Sanctos orare pro nobis, & etiam invocandos à nobis, quia (inquiunt illi) Sancti usq; ad diem Iudicij DEUM non vident, & intereà solâ quâdam naturali perfruuntur beatitudine extra Cælum: Quam opi-

opinionem tuitus est Tertull: *sed Contra* hunc errorem egerunt S. Aug l. 20 de Civ. C. 13. & C. 24. Medit: docet S. Stephanum, quod apertum adhuc cernebat, cælũ statem post mortẽ suam fuisse ingressũ, Præsertim S. Hier. clarissimè in hoc aggrressus est Vigilantium l. cont. eund. *Tu DEO leges impones, tu Apostolis Vincula injicies &c.* Probatur. Quia Latroni de Cruce dixit: Christus: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Sc: in lymbo. Quandò autem anima Christi descendens in limbum, illum Latronem simul cũm alijs PP. eduxit juxta Zach 9. 11. *Tu autem in Sanguine testamenti tui eduxisti* (dicitur de Christo) *Vinctos tuos delacu*: tunc ipsis contulit Visionem intuitivam, auferendo ab ipsis pænam damni, quâ solâ affligebantur in limbo. Alias si tantùm Christus particulari aliquo aliò modò tàm illum Latronem, quàm reliquos PP. consolatus fuisset, relinquendo illis pænam damni, quomodò diceretur eos liberasse? Calumniam contra Ioannem XXII. Papam, quasi huic errori patrocinatus fuerit latè satis refutavit, Frassen noster in suo cursu Theologico.

Dico 2dò. Sanctos in Cælo pro nobis orare, Nobisq; suffragari.

Probatur 1mò. Machab. 2. C. 15. Iudas videt Oniam Sacerdotem defunctum jam, manus extendentem & orantem pro populo. Et Ieremiam: *Hic est* (inquit) *Ieremias Propheta, qui multùm orat pro populo DEI.* Neque hic possunt excipere Sectarij contra authoritatem libri, quasi Canonicus non esset, quia vide dicta supra, ubi deducitur, & explicatur, quomodò Libri sunt Canonici: & prætereà quia hac ipsâ authoritate vtitur Orig. Hom. 3. in Cant. probando hocce dogma. Si autem ℞. Sectarius. Ille Propheta carens Visione DEI adhuc in limbo, quomo-

modò scire potuit necessitates populi? Rꝫ. quòd vel per particularem revelationem DEI, vel in universali pro quacunq; orabat necessitate, sinè qua non esse Viatores optimè noverat

Probatur 2dò. 2. Petri 1. pollicetur S. Petrus post obitum suum se curam habiturum. *Dabo autem operam & frequenter habere vos post obitum meum.* Quia verò hunc locum versionibus suis particularibus depravarunt Hæretici, eum in alium sensum detorquentes, de cujus falsificatione convincuntur imò ex S. Clem. Rom. qui Ep. 1. Institutionem sui in Papatum describens, & simul doctrinam à D. Petro immediatè ante obitum traditam S. Iacobo Apostolo, adducit verba Petri: *Certus esto* (ait ad Iacobum) *quòd necesse est te suscipere periculum, quia nec ego pro salute omnium ab obsecrando cessabo.* 2dò. S. Chrisost. Orat. in Princip. Apost. S. Petri opem invocans, prædicta verba S. Petri ad sensum nostrum interpretatur, dùm sic ait: *Succlamas Petre sic dicens: studebo post mei obitum vestri memoriam facere.*

Probatur 3tiò. Discursu S. *Hier. contra Vigil.* ubi sic ait: *Cùm vivimus, pro nobis mutuò orare possumus juxta Apostolum, postquam autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio?* Si Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti *possunt orare pro cæteris, quandò adhuc debent esse solliciti pro se quantò magis post coronas & victorias.* Idem prosequitur ulterius toto capite. Hinc statim patet istum errorem hæresis fuisse damnatum ab antiqua Ecclesia. Item *S. Aug. ser. l. de S. Stephano* ait: *Multò magis nunc exauditur pro veneratoribus suis, qui sic exauditus est pro lapidatoribus suis.* Item l. 21. de Civ. c. 27. de cura mort. C. 4 S. Cyrillus in Ioan. l. 9. C. 63. *Orationes Sanctorum DEUS suscipit, & largitur eis, quæ petunt.* Item. *S. Cypr. Carth. Ep.* 57. *Si quis*

nostrum

nostrum prior Divina dignationis celeritate praecesserit, perseveret apud Dominum nostra dilectio pro fratribus & sororibus nostris, & apud Misericordiam Patris non cesset oratio. Ita & Plurimi Patres apud Boverium & Cottoneum.

Dices cum Sectarijs 1. Quia Sancti in cælo non possunt scire necessitates nostras. 2. Sollicitudo eorum talis impediret perfectam eorum beatitudinem. 3. Quia constat ex Apoc. 6. quòd non exaudiuntur à DEO, postulantes SS. MM. vindictam sangvinis sui. R. ad imum verbis S. Aug. l. 22. de Civ: C. 29. *Si Propheta puerum suum Giezi absens vidit, quantò magis in illo Corpore Spirituali videbunt Sancti omnia, non solùm si claudant oculos, sed etiam undè sunt corpore absentes.* Iuvare poterunt plura adhuc dicta ad finem 1mæ. Probationis hujus Cap. Ad 2dum Dico. Quod sicut sollicitudo Christi, quæ maxima fuit, & est de nobis aut oratio ejus (quod approbant ipsi Sectarij) non impedivit, nec impedit etiàm defactò beatitudinem Animæ Christi; ita nec Sanctorum; imò eam promovet, cùm hæc sollicitudo sit suavissimæ Charitatis effectus, quâ afficiuntur SS. ad nos Viatores. Ad 3. S. Aug. dicit: ser. 39. de temp. *In illo loco SS. MM. orare non contra Tyrannos, sed potiùs ut cesset Tyrannis & peccata in Ecclesia DEI.*

Dico 3tiò. Sanctos in Cælo regnantes colendos Sacro cultu, & specialiter Beatissimam Virg. Matrem Christi. Probatur ex Ps. 138. *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui DEUS.* Hier. apud Ripal. inquit: *Honoramus servos, ut honor eorum reddundet ad Dominum qui Dixit; Qui vos suscipit me suscipit,* Prov: 10. 7. *Memoria justi cùm laudibus, nomen impiorum putrescet.* Ioan. 12. 26. *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.* Nè verò intelligenda hæc putet Sectarius de cultu aliquo civili,

non

non autem Sacro: Quia cultus ille non exhibetur Sanctis ob excellentiam & dignitatem aliquam eorum civilem, sed propter excellentiam in donis supernaturalibus, præsertim in gratia & gloria. Colligitur hoc ex modo loquendi in hac materia, quo utuntur SS. PP. S. Ambros. de SS. Nazario & Celso, qui cultum horum SS. Martyrum per longum prosequitur, inter alia citatur à Cottoneo dixisse sic. *Debemus illis reddere honorificentiam, qui nobis ad salutem profusione sanguinis sui profuerunt, qui tanquàm Sacrata hostia pro propitiatione nostra sunt oblati Domino. Quisquis ergo honorat Martyres, honorat & Christum: qui spernit Sanctos, spernit & DEUM.* S. Hier. in C 3. Sophoniæ de Apostolis ait: *Quotidiè nominantur, quotidiè magnificatur nomen eorum; non quod ipsis prosit, sed quod nos magnificantes nomen eorum, & quæ scripserunt lectitantes salutem con equamur.* S. Aug. pluries, sed præsertim occurrendo Objectionibus Sectariorum, qui dicunt solum DEUM adorandum & colendum esse. Cùm itaq; L. 21. contra Faustum dixisset: *Quis unquam dixit; Offerimus tibi Paule, Petre; sed quod offertur, offertur DEO, qui Martyres coronavit. Colimus Martyres eo cultu dilectionis, quo in hac vitâ coluntur homines S. DEI; sed illos tantò devotiùs quantò securiùs post incerta omnia superata. At illo cultu* (sc: Latriæ) *cùm sit quadam propriè debita Divinitati servitus, nec colimus, nec colendùm dicimus, nisi solum DEUM.* Item in Ps. 25, B. Petrum Piscatorē modò genibus provolutis adorat (quem terminū notavit Sectarius, quasi ille blasphemus esset, Doctoris tamen usu laudatus) multitudo credentium per Dominum Nostrum IESUM. S. Cyrillus Ep. 44. ad Maximum. *Scias à Christianis nullum coli mortuum, nihil ut Numen adorari, quod sit factum & conditum à DEO.* Probatur. De Cultu Beatissimæ Matris.

Hæc

Hæc cùm ſit majoris Excellentiæ, præſertim ob dignitatem Matris Filij DEI, major quàm cæteris Sanctis exhibendus eſt ei cultus. 1mò Quia ipſa cecinit in ſuo Magnificat: *Beatam me dicent omnes generationes.* Idque in longum probari poſſet in numeris Epithetis & elogijs SS. PP. Singularem ejus Excellentiam, exprimentibus quæ habentur in Polyanthea Nominum MARIÆ. Duo præcipua ſunt, quæ diſplicent Sectarijs in cultu MARIÆ. 1mum. Quod á Greg. Nazianz. in trag. de Chriſto patiente dicatur (apud Suarem) ut Dea habita & Senectæ expers. 2dùm. QuodS Petrus Dam: ſer. 1. de Nat. ejus dicit; de ejus interceſſione. *Accedit ad Chriſtum, non ſolùm rogans, ſed etiam imperans, Domina non ancilla.* Sed facilè hic reſolvitur ſcrupulus. 1mum. enim in eo ſenſu dici, quo dixit Chriſtus de juſtis: *Ego dixi, Dij eſtis*, quod multò excellentiùs debet competere Matr. ejus. 2dùm. autem eſt dictum tropicè, ad eum modum, quo dicitur ad vocem Ioſue Sol ſtetiſſe, obediente DEO voci hominis, quinimò ampliori ob convenientiam aliquam, & relationem majorem Matris hujus ad Filium.

Contra Cultum Sanctorum opponunt Sectarij. Cùm Forbeſio. Matt. 4. 10. dicitur. *Dominum DEUM adorabis, & illi ſoli ſervies*, Item Coloſ. 2. *Nemo vos ſeducat in humilitate & Religione Angelorum.* Ex quo ille infert prohiberi cultum Angelorum. Item Conc. III. Laodicenſe C. 35 prohibet congregari ad Angelos colendos. Item S Aug. hær 39. Hæreticos dictos Angelicos, in numero aliorum recenſet, qui nimirùm in cultum Angelorum erant inclinati, & proin iè Apoc. 9. Angelus reijcit ab Apoſtolo Ioanne oblatum ſibi honorem Et quamvis PP. agnoſcant aliquandò coli poſſe Sanctos; intelligi poſſunt de honore ex motivo Charitatis vel imitatio-

tionis; ut habet S. Aug. l. de verafide C. 55. vel de motivo Charitatis mutuæ: non autem ex motivo Religionis seu servitutis, & subjectionis ad ipsos, ut ait S. Aug. Quare honoramus eos non servitute, sed Charitate. ℞. ad primum jam satisfecit S, Aug. sup; Ad 2. Dico, quod nullus ex Patribus in Comment. ex dictis verbis id colligat. sed tantùm docet, quod hic quo ad literam moneantur Colossenses, ne cuiquam & si Angelus esset credant docenti diversum à doctrina Apostoli, tradita ibi circa usum ciborum. Ad 2. ℞. In ipsameteditione sic haberi textum, *Non oportet Christianos derelictâ Ecclesiâ abire, & ad angulos* (non autē ut subdolè videtur legisse Forbesius) ad Angelos idololatriæ congregationes facere. Nec istud erratum potest dici & imputari Typographo; cùm conveniat cùm titulatione citati ab eo Canonis. Sed quidquid sit, dato etiam quòd ibi sermo sit de Angelis, uti etiàm id supponere videtur *S. Hier. Ep. 151.* ad Algas. q. 10. & *S. Aug Ep.* 59. ad Paul. citatum textum exponentes. Dico non agi ibi contra nostram doctrinam, sed tantum contra nonnullos hæreticos ævi sui, qui (referente S. Hier. l. citt.) militiæ Cælesti faciebant ut DEO Sacrificia; & teste S. Aug. abuti volebant Angelis in suis superstitionibus, id est (ut notat apud Suarem Oecumenius & Theophilactus) qui ex quadam inordinata inclinatione & humilitate, nolebant esse Christum principalem Mediatorem suum apud DEUM, sed ipsis Angelis id tribuebant. Vel qui cum Cerintho, tribuebant Angelis vim & dignitatem creativam mundi. *Ad* 3. S. Athan. serm. 3 cont. Arrian. apud Comel quod & S. Aug. supponere videtur l. 2. cont. Faustum C. 21. Ioannem hunc Angelum ob eximium splendorem putâsse quod fuerit ipse Christus, eumque voluisse cultu Latriæ adorâsse eundem, à quo prohibitus est.

Vel

Vel ut sentit Dyon Carth. hic Angelum non permisse sui adorationem, aut ex humilitate propter eminentiam dignitatis Apostolicæ, aut ob reverentiam humanæ naturæ jam cùm assumptæ à Verbo: non autem, quasi angelus putaret nullum sibi licitum cultum. *Ad 4tum* quò ad ultima verba S Aug. Dico. ibi eum agere (ut patet ex contextu capitis contra opiniones falsas) de Dijs, & loquitur de servitute ac submissione, quæ fieret in recognitionem supremi Dominij; paulò enim infrà ait: Quia autem nos invitant, ut sibi serviamus, & tanquàm DEOS colamus, similes sunt? Hinc certificamur potiùs verbis Doctoris, non posse coli Sanctos nec Angelos, cultu servitutis talis; benè tamen cultu inferioris servitutis, modò tamen cùm agnitione in illis excellentiæ quo ad dona supernaturalia. Quarè sicut cùm cultu civili etiam servitutis in Regem v. g. stat cultus servitutis principalis ad DEUM, juxta illud Pauli Hebr. 13. 17. Obedite Præpositis vestris, cur stare non poterit cùm cultu sacro servitutis inferiori, qui fieret in Sanctos, cùm præfata modificatione.

Dico 4tò. Sanctos cùm Christo regantes invocandos esse.

Probatur 1mò. Quia id sequitur ex præmissis. Si enim regnant in cælis, orant, & cultu digni sunt ut ostensum est omninò consequentia inevitabilis est, eos non illicitè, non infructuosè invocandos. Ista enim sunt Correlativa, ut facilè apparet & Probatur sequela quam negat Lutherus & Calvinus, quam probat breviter sequens Instantia. Quia enim Christus interpellat pro nobis, ideò sequitur invocandas ejus Orationes, pariter sequetur ex Oratione Sanctorum eos invocandos. Sciendùm tamen Invocationem Sanctorum posse esse duplicem. Vel propriè & principaliter, dùm invocamus ipsum DEUM, ab eo immedi-

mediatè, ut à fonte beneficiorum aliquid postulando. Vel minùs propriè, (ut ait Boverius hic) ut cùm invocamus homines, non tanquam datores beneficiorū, sed ut deprecatores tantùm apud DEUM, ut eò citiùs exaudiantur orationes nostræ á DEO, quò magis illæ juvantur precationibus Amicorum DEI, qui jam regnant in cælis, præsertim cùm constet ex Scriptura, orationem Christi pro nobis, & deindè orationes justorum viventium benè invocari.

Probatur 2dò. Gen. 32. Iacob ab Angelo, cùm quo luctabatur, invocat benedictionem. Et quam vis Forbes dicat, fuisse ibi verum DEUM, seu Filij DEI Personam, non autem propriè Angelum, favente in hoc S. Ambrosio & alijs: tamen S. Aug l. 25. de Civ: c. 39. docet: Illum Angelum tantùm gessisse typum Filij DEI, seu Passionis Christi, & ita sentit apud Ernestum Prag. S. Hier. Dyon & communis hic Patrum sensus habetur, nunquàm Personam Filij DEI immddiatè, & per se apparuisse antè Incarnationem suam. Undè S. Ambros. typicè tantùm intelligendus, dùm illum Angelum vocat Filium DEI aut DEUM. Nec obstat, quod Iacob dixerit se vidisse Dominum. Quia (Coqueus in suis annotat: sentit) quod id referebat Iacob ad authoritatem ipsiùs, DEI cujus Angelus legatus fuit.

Probatur 3tiò. Gen. 48. Iacob invocat Angelum inquiens. *Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis*: Quia tamen Forbes adducit Athan. Orat. 4. contra Arrian. docentem hic non invocari Angelum, sed potiùs Iehova sc. DEUM, ideò quidquid sit de hoc textu, quo communiter utimur Contra Sectarios. Ulterior tamen textus probat Invocationem Sanctorum: subdit enim Iacob. Invocetur super eos nomen, meum nomina quoq; Patrū meorum Abraham. Isaac, in quibus Verbis Iacob appellat

ad

ad merita Patrum, ut exponit *S. Chryſoſt.* hic. Ex probata Patrum vita, ex beneficijs in ſe collatis preces fundit, & benedictionem Filijs precatur.

Probatur 4tò Iob 5. *Voca ergo ſi quis tibi reſpondeat, & ad aliquem Sanctorum convertere.* Per hos Sanctos intelligit S. Aug. hic Angelos. Ex hoc autem, quod exprobratoriè quaſi & ironicè id peccatori dicatur; colligere eſt ex Commentarijs S. Doctoris, quòd niſi eſſet immundus ob peccata, reſponderent profectò illi SS. Angeli, dum eos invocaret. Nec obſtat, id quod opponit Forbeſ. Quia etiam apud Iob dicitur: *Interroga nunc jumenta & dicent tibi*: & tamen non ſequitur, jumenta invocanda. Nam ex ijſdem Comment: S. Aug. patet, in alio ſenſu invocari Sanctos, & in alio ſenſu S. allegorico, interrogari jumenta.

Probatur 5tò. Lucæ 16 Dives ille in tormentis (ipſo referente Chriſto) ait ſic: *Pater Abraham mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti &c.* & quamvis illa oratio fuit diviti infructuoſa, quia fuit extra ſtatum Viatoris facta, tamen nec Abraham, nec ipſe Chriſtus referens Hiſtoriam eam tanquam blaſphemam (quod Hæretici de invocatione SS. dicunt) reprobavit.

Probatur 6tò. Ex antiquis PP. Eccleſiæ. S. Baſilius Hom. 20 de 40. MM. *Qui aliquâ premitur anguſtiâ, ad hos confugiat: qui rurſus lætatur hos oret; hic ut malis liberetur, ille ut duret in rebus lætis.* Similia apud Boverium invenies ex S. Ephrem. Greg. Nazianz. & Nyſſ. Ambr. Chryſoſt S. Hier. ſpecialiter de hoc in Pſ. 15. *In illa delectabili potentia tua quia tecum Sancti regnaturi ſunt, undè eos deprecamur nequaquam disjuncti, ſi non meremur veſtri gloria, non excludamur à venia.* *S. Aug.* contra Vigil. in illud Iob. 19. *Miſeremini mei amici; ait; SS.*

 An-

Angelos videtur postulare, ut pro eo deprecentur, aut Sáctos, ut pro pænitente exorent. Et l. *Medit.* non obstante quod C. 5. invocasset Christum & Passionem ejus C. 14 per totum invocat SS cælites inquiens: *Orate omnia agmina Sanctorum, & universi cætus Beatorum, ut vestris precibus meritissimis adjuti salvâ nave, & integris mercibus, mereamur ad portum Salutis pervenire* Et l 5 C 17. de Bapt. Commendat se Orationibus S. Cypriani jam defuncti. In universali autem l. de Spirit. & anima C. 39. de cognit. veræ vitæ T. 5. c. 9. Tandem se 17. de verb. Apost. ait: *Injuria est Martyri pro Martyre orare, cujus nos debemus Orationibus commendari.*

Evadendi modi vim & authoritatem præcipui sunt apud Forbes. Aut enim dicunt, quod Patres Panegyres Rhetioricas conscribendo pro Martyribus & aliis Sanctis usi fuerint Hyperbolicâ & impropriâ locutione, quæ ideò non debet trahi pro regula fidei, aut Patres illos aliquid humani passos fuisse, & à receptâ Catholica antiquitate alienum quid docuisse. *Sed imum non valet..* Tùm quia quamvis ex parte hoc verum esset in Panegyricis, pro licentia styli & energia tale quid effluxisse, cæterum ut ex allegationibus S. Aug. patuit, ibi à SS PP, agi res dogmaticè, ubi non est locus impropriarum locutionum; aliàs de quolibet prolato Doctoris dubitandum esset, proprium nè an hyperbolicum sit. 2dâ autem evasiò est valdè temeraria. & PP. injuriosa. *Deindè* si PP. citati tenentes invocationem SS. sunt ex antiquis. Undè tu scis, quod oppositus fuerit usus & doctrina antiquæ Ecclesiæ? & quomodò PP. illi creduntur esse Sancti, & testes infallibiles doctrinæ veræ antiquæ? si receptissimum (ut tu somnias) usum non receperunt vel ignorarunt. *Tandem* quomodò illa antiqua Ecclesia Sancta fuit, si optimè sciens illorum Patrum

oppo-

oppositum sensum esse suæ doctrinæ illos non damnavit, sicutfecit cùm alijs Hæreticis oppositum doctrinæ Ecclesiasticæ Suggerentibus. Nec valet opponere, quod sunt aliqui Patres ut Ambros. l. 5. C. 1. de fid docentes: solum, DEUM advocandum, adorandum. Quia quoniam ijdem in alio loco, & ipsemet S. Ambros. citatus docent invocandos Sanctos, per hoc colligere licet, quod in loco prænominato locutus sit restrictè, & de adoratione propriè, ac rigorosè sumpta, de qua dictum est ad initium Capitis.

Objectio. Non est acceptatio personarum apud DEUM, adeòq; quilibet immediatè exaudiri potest, non mediante intercessione Sanctorum. Tumquia sequeretur Sanctos etiam esse Mediatores nostros ad DEUM contra illud 1. Tim. 2. *Unus autem est Mediator hominum Christus* & Act. 4 *Non est aliud nomen sub Cælo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri.* Tumquia merita Sanctorum ratione quorum dicitur efficacior ipsorum Oratiò pro nobis, nihil sunt coram DEO, imò ex se malo eorum plena. ℞. Ad 1. Cur ergo oratio justi efficacior censetur in Scriptura, quàm oratio injusti? Iacob. 5. & Iob 44. cur DEUS misit ad Iob quosdam ut oraret pro ejs. Faciem ejus (*inquit*) *suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia.* Cur Paulus commendat se Orationibus, tàm Romanis, quàm, Hebræis. *Ad 2.* possunt opponi dicta contra *1mum.* Undè Christus dicitur Mediator, Salvator antonomasticê, super excellenter & originativè. Sancti verò dicuntur Mediatores adarij seu deprecatorij, quia & ipsorum excellentia & ualor meritorum, & sic orationum, sunt ex gratia Christi adeòq; ex meritis primi Mediatoris, Sangvinem fundentis in antidotum: quod ipsum Ecclesia indicat, dùm collectas, quibus per merita & intercessionem SS. petit aliqua beneficia, concludit,

meritis Christi dicens: *Per Dominum Nostrum IESUM CRISTUM.* Non ergò abhorreant Sectarij, dùm audiunt Romanos, ad Sanctos sic vel similiter orantes, Libera me à pœnis inferni vel ab hoste, salva me. Si enim verba hæc sanè intelligantur, (ut de facili à quolibet etiam rudi concipi possunt qui scit per fidem, nedùm quod Sancti DEI colendi, invocandi, per eandem simul & principaliter novit solùm DEUM esse omnium Datorem) nullam in se continent blasphemiam. Nonnè & S. Paulus Rom. 11. & 1. Cor. 9. *dicit se aliquos curâ suâ salvos fecisse.* Nonnè & ipse Sectarius periclitans fortè in naufragio inclamat alios socios salvate me, defendite me, nec tamen putat dicere se blasphemiam, aut dare scandalum nè quis fortè ex rudibus putet illum attribuere homini, quod solius DEI est. Ad 3. R. SS. merita nihil sunt distingvo, nihil sunt ex se ipsis purè considerata, conc: Nam Apostolus ait: *Non sunt condignæ Passiones?* Nihil sunt, ut considerata prout proveniunt à gratia DEI, & ut conjuncta cùm meritis Christi, nego Pro talibus enim promisit mercedem Paulus etiam ut coronam justitiæ.

CAPUT VIII.

De Cultu Immaginum, S. CRUCIS & Reliquiarum SS.

Cultus quem exhibet Ecclesia Romana Imaginibus SS est licitus, ut potè remotissimus ab omni specie Idololatriæ; de qua calumniantur Ecclesiam Sectarij, contrà quos conclusit Generale, *Conc: Trid. S. 25.* Simulq; cultum hunc explicans sic docet: *Habendas & retinendas esse Imagines, eisq; debitum Honorem ac Venerationem impertiendam; non quod cre-*

datur

datur inesse eis aliqua virtus & dignitas, vel quod ab eis sit aliquid petendum vel quòd fiducia in Immaginibus sit figenda; sicut olim fiebat à gentilibus: sed quia honor, qui illis exhibetur refertur ad Prototypa quæ repræsentant, ita cùm osculamur, vel Imagini Caput aperimus, Christum ipsum adoramus & Sanctos. Concedunt quidem moderni Hæretici licitum esse usum Imaginum, vel ad decorem domorum, templorum, vel ad excitandam imitationem & memoriam gestorum piorum, non tamen ad aliquem cultum Religiosum & adorationem. Porrò honor & cultus Imaginum potest duplici fieri modo. 1mò. ut in eis & per ipsas adorentur ipsa Prototypa, ad quæ Intentio adorantis præcipuè dirigitur. Undè fit, ut adorando Christum in Imagine necesse sit suo modo adorari & imaginem, ut quid connexum cùm suo Prototypo; sicut, dùm adoramus Regem, simul adoramus vestes ejus & Thronum cui insidet, ita tamen; ut motivum illius ejus adorationis sit ipsum principale, sc: Persona Regis: & hic cultus erit vel Latriæ, vel Duliæ juxta excellentiam Personæ, cujus est. 2dò. modò possunt & debent Imagines cùm veneratione tractari, quoties actio aliqua circa illas exercetur, etiamsi non sit illa actiò, formalis ipsa adoratiò Personæ; sed solùm spectetur imago, ut res quædam Sacra, quæ propterea cùm debita veneratione tractanda. Et hæc reverentia est etiam respectiva, quia adhuc exhibetur intuitu aliquo Prototypi. Ex quo sequitur quod nunquam imago adoratur, propter suam aliquam excellentiàm propriam, sed ob respectum sui Prototypi. Sic ergò rebus explicatis deciditur & deducitur.

Dicò 1mò. Cultû Sacrarum Imaginum esse licitum & alienum ab omni specie Idololatriæ.

Probatur 1mò Quia Hæresis hæc Manichæi negantis Cultum Imaginum damnata fuit sæculo 4tò. ab antiqua Ecclesia etiam in Ario, ut docet S. Aug. l. 20. cont. Faust. c. 15. Et deindè idem error damnatus fuit in Conc: Nyceno *Act.* 6. Ergò vel erravit Ecclesia illa, adeòq; non fuisset vera, damnando ut hæresim doctrinam nostræ oppositam, vel errant moderni Sectarij, dum eam amplectuntur.

Probatur 2dò. Quia in Scripturis aliquæ Creaturæ propter specialem ordinem quem habent ad DEUM vel res Divinas honorandæ dicuntur: Sic dicitur *Ps.* 98. *Scabellum pedum DEI adorandum.* Iubentur erigi Imagines Cherubinorum *Exodi* 25. 18. quibus simul cùm arca exhibebatur honor, adolebantur incensa, pretiosis contegebantur; quod Observavit S. Hier. *Ep.* 7. *ad Marcel.* Item *Num.* 21. Proponebatur statua serpentis figurantis Christum. Imò in principijs sistendo Advers. species illæ Angelorum occurrentiùm Abrahæ, non fuerunt veri Angeli, sed tantùm species seu imagines, in quibus ipse DEUS adorabatur ab Abraha. Idem dic de Iosue, de Ioanne Angelum adorante *Præterea* nomen ipsum, est suo modo Imago Personæ, ex quo illud ducit in cognitioné ejus cujus est; & tamen dicitur Philip. 2. *In Nomine IESU omne genu flectatur.* Imò & nos civili honore dignamur etiàm Nomina dùm ab aliquo prolata audimus vel ipsi proferimus Magnorum & illustriùm virorum, tantò magis Sanctorum.

Probatur 3tiò Ex S. Ambrosio *Ser.* 10. *in Ps.* 118. Probatur à pari, sic rem illustrante, dùm ait: *Qui Imaginem Imperatoris honorat, utique illum honorat & qui statuam ipsius contempsit, Imperatori utiq; videtur fecisse injuriam.* Ergò quod dicitur de civili cultu, qui Imperatori debetur, multò magis dicendum est de Religioso Cultu Christo & SS. debito.

Pro-

Probatur 4tò. Discursu antiquissimi Doctoris Nicephori Constantinop: Cùm quærit Hæreticus, ubi scriptum est de adoranda Imagine Christi? ℞. dum est, ibi, ubi scriptum est ipsum adorandum esse Christum, quia Imago unum est cùm Protypo non naturâ, sed habitudine seu relatione; & ideò communionem habet etiàm tàm nominis quàm honoris.

Probatur 5tò. Quia *Act.* 5. legitur, quod mera umbra S. Petri fuit venerationi fidelium, adeò, ut intuitû illius DEUS miracula faceret: Vmbra verò quid aliud est, nisi imperfectissima Imago Personæ: quid dicendum de Imaginibus SS. veris & propriè sumptis? Probat Boverius ex antiquissimo usu Ecclesiæ, quæ laudatur ab ipsis Sectarijs; & hoc per testes, sc: per Pf. S. Athan: ad Antioch. C. 28. ait. *Absit ut nos Christiani, tanquam Deos imagines adoremus* Lignum sæpè, quod jam erat imago, si figura deleta sit, tanquàm inutile comburimus. Quemadmodum Iacob fastigium virgæ Ioseph adoravit, non virgam ipsam honorans, sed eum qui virgam tenebat. Ita nos Christiani non aliâ ratione imagines colimus, nisi quemadmodum etiàm cùm filios nostros aut Patres osculamur, animi nostri desiderium indicantes. S. Basil. cont. Iulian. ait; *Historias imaginum honoro & palam adoro.* Metaphor. Antiquissimus in vita S. Lucæ testatur eum imagines Beatissimæ Virginis depinxisse. *Euseb.* memorat de statua Salvatoris Cæsareæ erecta ab Hæmorroissa per illum sanata. *Evagrius* apud Suarem testatur de imagine Edessam Abgaro, per impressionem solam vultûs sui depicta & missa eidem Regi à Christo qui cupiebat videre & adorare Christum. Item de Imaginibus Apostolorum à S. Sylvestro oblatis Constantino M. & de alijs, quibus Cæsar ædificia templorum exornari fecit. His autem tot & tantis per tot sæcula receptis Historicis; quòd novi

sæculi Tyrones fidem denegent, id plusquam inhumanum est.

Probatur 6tò. Singulariter de veneratione Ligni & Imaginis Crucis Christi. (quod aspernantur præsertim Calvinistæ) sic ait S. Aug. l 2. de visit. inf. *Habent Christianorum arcana illius præsertim Crucis Dominicæ, quasi quoddam venerabile monimentum, quod de Crucis ipsius imaginatione Crucem cognominant; quod & nos veneratione dignissimum fatemur, & ad venerationem Crucifixi incitamur.* S *Chrysost.* verò, totum Sermonem de hoc scripsit. *S. Hier. Ep. Paulæ ad Marcellam.* ajt. *Venerabantur quondam Iudæi Sancta Sanctorum, quia ibi erant Cherubim & propitiatorium, & arca testamenti &c.* & illud Ps. 98. *adorate scabellum pedum ejus*; intelligit de Cruce.

Objectio 1mâ. Deut. 58. *Non facies tibi sculptile ut adores illud.* Et dum ad hæc respondemus nos non adorare sculptile, ut vanum DEUM, sed potiùs verum DEUM in dicto sculptili adorare intendimus. *Urget* statim Forbesius. 1mò S. Aug. in Ps. 113, qui docet, quod Paulus nedum simulacra damnavit, sed etiàm interpretationes simulacrorum. 2dò. Idem S. Augst. Ep. 119. c. 11. ait: Prohibetur aliqua similitudo DEI coli in figmentis hominum, non quia non habet Imaginem DEUS, sed quia nulla imago coli debet, nisi illa quæ est hoc quod ipse. 3tiò. Idem *de symb. & fide.* c. 7. putat sacrilegium esse sedentem vel flexis genibus pingere Patrem æternum, nefasq; esse tale simulacrum, in templo collocarè. 4tò. Concil. Francofordiense sub Carolo totaliter etiàm Cultum hunc imaginum damnavit. 5tò. Inter opera SS. Hier. & Cypr. legitur Epistola. S. Epiphanij, in qua testatur se in quadam Ecclesia imaginem Sacrā dilacerâsse, ut potè pendentem in templo contra authoritatem S. Scripturæ. ℞. *ad 1.* Legenti totum textum

Cap.

Cap. S. Doctoris benè patere potest, quod illæ interpretationes, quibus se excusabant ab idololatria Pagani, desinebant adhuc in falsa Numina, Iunonis, Iovis, & similium, ut advertit ipse S. Aug. & ideò damnavit cultum illum. Nostræ autem interpretationes, respiciunt non dæmonia, vel ficta Numina, sed aut verum DEUM, aut veros Sanctos ipsius. *Ad* 2. *Dicò*. Potiùs in textu S. Aug. doceri oppositum, si ulteriora Doctoris Verba legentur, quæ fortè astu truncavit Forbes, talia enim sequuntur. *Nec ipsa* (*imago*) *pro illo, sed cùm illo coli debet*. Ex quibus verbis deducitur, admitti à S. Doctore, cultum in imagine, quæ non pro DEO, sed simul cùm DEO coleretur. Alia autem omnia figmenta, quæ sinè ullo respectu ad DEUM colerentur docet esse prohibita; in re etenim essent simulacra, ac vana idola *Ad* 3. Dico doceri ibi Sacrilegium esse, si id fieret animo pravo, aut saltim cùm periculo inducendi opinionem, quod esset DEUS corporeus constans pedibus & manibus. Cùm autem defactò benè sint instructi fideles etiàm rudes, quod DEUS careat corpore, & sit merè Spiritualis, jam cessat periculum taliter aberrandi. Quodsi hoc non obstante adhuc cerneretur tale periculum malè opinandi de DEO, hoc stante addmitto in casu, Sacrilegium esse tale simulacrum exponere rudibus, nè fortè sibi (quod cavet S. Aug ex S. Paulo) incorruptibilem DEUM commutent in similitudinem hominis. *Ad* 4*tum*. *Dico*. Illud Concil. Francof. non fuisse legitimum, imò reprobatum cùm sua doctrina ab Adriano I. ut potè, toto cælo contrarium antiquissimò Conc: Nyceno, approbato à tot Pontificibus. *Ad* 5*tū*. *Dico*. Quoniam jam patuit ex testimonijs, antiquissimum fuisse in Ecclesia cultum Imaginum, adeòq; eum non ignotum S. Epiphaniò, supponendum de illo, quod adverterit aliquam Histori-

ſtoriam depictam modo contrario S. Scripturæ, & ideò illam laceràſſe. Aliàs quomodò S. Hier. hanc Epiſtolam exponendo latine approbâſſet? cùm jam ſuperius ejus audivimus teſtimonia pro cultu imaginum, & pro picturis. Imò illemet teſtatur ſe vidiſſe in cucurbitis de pictas imagines SS. Petri & Pauli; quod tamen reprehendere noluit, & quia aliter non fecit, per hoc uſum Imaginum in Eccleſia approbavit.

Objectio 2dà. Quia Ezechias Rex confregit imaginem ſerpentis ænei. T. q. Quia DEUS voluit corpus etiam dilecti ſui Moyſis ſepeliri & abſcondi, nè adoraretur. T. q. Quia ſubeſt periculum, nè quis cultum referat, non ad Prototypa ſed ad colores. T. q. Quia ad memoriam & venerationem DEI ſufficeret ſinè imaginibus S. Scriptura & prædicatio Verbi Divini. R. ad 1. ex *S. Aug. l. 10. de Civ. C. 8.* Quia ex quo ille populus corruptus conſortio idololatrarum verè incipiebat illud ſimulacrum ſerpentis colore ut DEVM, non ut puram imaginem; nolens ergò idololatriæ favere Rex pius ſimulacrum illud auferre voluit. *Ad 2. Dicò.* Illam cauſalem voluntariè ut Forbeſij error foveatur adſtrui: cum *SS. Aug. Chryſoſtomus* aliā aſſignent. Aliàs, ob eandē rationem debuiſſet DEVS facere ignota ſepulchra Petri & Pauli & aliorum SS. in vita ſua prodigioſorum. *Ad 3tium. Dico.* Suppoſitâ debitâ inſtitutione populi in fidei rudimentis, nullum moraliter adeſſe periculum. Ad illud verò, quod ex malitia alicujus ſequeretur non tenetur attendere Eccleſia; aliter enim nec ſol inter aſtra collocandus fuiſſet, quem aliqui (ut Perſa) quaſi DEVM venerantur. *Ad 4. Dicò.* Rudes plerumq; ad pietatem facilius moveri viſis Iconibus quàm Verbis prædicantium.

Dico 2dò. Veræ Cruci Chriſti & cuilibet ejus particulæ debetur Adoratio latriæ

triæ reſpectiva, *Eſt contra Luterum Calvinum & Viclefum.*

Probattur 1mò. Ex praxi Eccleſiæ quæ duo feſta inſtituit in honorem S. Crucis ſcil: Feſtum Inventionis, & exaltationis ejus. Probatur 2dò. Nam Crux illa conſideratur in ordine ad Chriſtum DEVM hominem quem repræſentat mortuum in illa pro redemptione Noſtra, ſed Chriſto in ea conſideratione debetur Cultus latriæ Ergò & Cruci, nam ſi Chriſtus ut homo & Redemptor per mortem Crucis meretur Cultum latriæ ſequitur quod Crux ipſa ponitur inter objecta terminantia talem Adorationem. Quod autem hæc adoratio ſit reſpectiva tantum patet: Nam Crux illa ſicut & alia inſtrumenta paſſionis Chriſti ac Redemptionis Noſtræ ſunt ex hoc Capite ſummè Veneranda, ſed abſq; relatione ad Chriſtum non habent ullam dignitatem ſuper alias res ſimilis naturæ & ceſſat omnis ratio ſimilis Adorationis, quàm illis exhibemus Ergò illa adoratio eſt reſpectiva ad Chriſtum, à quo habet totam ſuam Conſecrationem & dignitatem. T.q. Humanitas Chriſti præcisè conſiderata & ſecundum ſe abſq; vllo reſpectu ad Verbu͂ū, non eſt adoranda, Cultu latriæ, multominus Crux quæ longè minoris eſt dignitatis & Crux reſpectivè tantùm ad Chriſtum eſt adoranda Cultu latriæ.

Objectio 1mà. Solus DEVS Cultu latriæ eſt honorandus ſed Crux Chriſti non eſt DEVS Er. R. d. majorem: Solus DEVS eſt cultu latriæ horandus cultu abſoluto C. culto reſpectivo N. Nam crucem Chriſti & reliquias ejus reſpectivè ad Chriſtum Cultu latriæ veneramur quamvis illa nonſit DEVS: Crux enim repræſentat nobis Chriſtum DEI Filium conſumantem hominum reparationem & pro nobis in ea mortuum: Vnde inquit D. Damaſcenus: *Pretioſum reipſa Crucis lignum & Venerandum, inquo ſeſe*

met-

metipsum Sacrificium pro Nobis obtulit Christus tanquam Sancti Corporis & SangVinis tactu Sanctificatum, merito est adorandum; Nec non ClaVi, lancea Vestes, & Sacra ejus habitacula; ut sunt Præsepe sepulchrum &c. Itt. D. Aug. de tempore serm. 181. dicit: *Hoc signo Crucis Consecratur Corpus Christi, Sanctificatur fons Baptismi, initiantur Præsbyteri &c.* Itt. S. Hieronymus C. 2, Tertul. de Corona militum C. 3. ait: *Ad omnem progressum exitum, aditum, Vestitum, laVacra, mensas, lumina Cubilia: frontem Cruce signamus.* Dices. Crux Christi nihil nobis meruit neque est orabilis E. non est adoranda. ℞. d. a. Secundùm se considerata, C. ratione Christi N. Christus enim per Crucem meruit, & est Orabilis.

Objectio 2dâ. Crux Christi fuit causa doloris Ergò est execranda. ℞. N. consequentiam; Nam sicut dolores illi fuerunt Christo gloriosi, & ab eo liberè suscepti, ita & Crux ut potè instrumentum illorum quàm amanter suscepit ut viam ad gloriam suam & nostram redemptionem.

Objectio 3tiâ. Si Crux esset Adoranda Er. & asinus in quo sedebat Christus, ℞. N. consequentiam; Asinus enim non est capax recipiendæ Sanctitatis, nec unquàm res vivens, irrationalis ex contactu viri Sancti recepit Sanctitatem in tota Scriptura uti res inanimes receperunt v.g. terra ex speciali præsentia DEI Moysi apparentis in Rubo Exodi. 3. *Ne appropies huc, solVe calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas terra Sancta est.* Reliquia Sancti si transit in vermem Cultum amitit, transit enim in aliam speciem nec est eadem cum Sancto moraliter nec pertinet ad illum. Deindè: Thronum Imperatoris vel Regis homines solent adorare, equum autem Regium nunquam ut pote bestiam, Crux autem est Thronus & Ara Christi.

Obje-

Objectio 4tâ. Catholici non illam solum Crucem colunt inqua Christus mortuus est, sed etiam omnes alias Cruces, quod videtur inconveniens. Contra. Colimus Cruces alias ideo, quia post edictum Constantini Imperatoris non habent usum alium quàm nobis Christi passionem repræsentare, clavos autem alios non colimus quia usus alios habent, & sic de cæteris. Dices: pariter Iudæi essent Adorandi percutientes Christum, Os Iudæ. Contra. Licet malitia Iudæorum profuit Christo ad meritum tamen per illam peccaverunt quia ex Odio fecerunt ideoq; execrandi sunt cum Iuda.

Dico 3tiò. Reliquiæ Sanctorum colendæ sunt cultu religioso Duliæ non verò solo Civili.

Probatur 1mò. Ex doctrina antiquissima, quàm Sancti Apostoli ex Sacra Scriptura Ecclesiæ tradiderunt, quod ipsum refert Discipulus & successor Petri S. Clemens Constit. Apostol. l. 6. C. 50. Allegando statim loca scripturæ præsertim Ps. 115. *Pretiosa in Conspectu Dni mors SS. ejus.* Itt. 2. Reg. 13. *Cùm cadaver tetigissent Ossa Elizei revixit homo.* Quo miraculo DEUS ostendit, quàm grata sint sibi ossa amicorum suorum. Vnde S. Aug. lib. 1. de Civ. c. 13. docet. *Colendas esse SS. Reliquias, non propter aliquid habens Excellentiam in se sed quatenus fuerunt Organa & Vasa quibus Spiritus S. usus est ad bona Opera;* Iste enim, non terminatur totaliter ad Reliquias ipsas, sed refunditur in honorem SS. Animarum quarū sunt corpora vel reliquiæ dicitur enim Ps. 33 *Custodit Dominus omnia ossa eorum.* Itt. Exodi 13. Moyses & Iosue venerabunde duxerunt secum de Ægypto in Palæstinam Ossa Iosephi Patriarchæ. Iuvat hoc Dogma Fidei Actor. 5. Vmbra Petri, ad quam positi infir-

firmi curabantur. Itt. Matt. 9. Fimbria vestimenti Christi, ad cujus tactum mulier sanata est quæ fluxum sangvinis patiebatur. Itt. Actor. 19. super langvidos deferebantur à Corpore Pauli sudaria & semicinctia & recedebant ab eis langvores & Spiritus nequàm egrediebantur.

Probatur 2dò. Quia altero post Christum sæculo, damnavit Ecclesia Martionistas, qui Corpora SS. abominabilia esse dicebant. Et postea contra Vigilantium resuscitantem eundem errorem, acriter egit. S. Hieron. l. 2. probans, *licitum esse ad sepulchra Martyrũ accendere candelas, aliaq; illis signa Venerationis testari;* Imò (ait Theodoretus) ad Sepulchra Martyrum alij oculorum alij pedum & manuum simulacra suspendunt ex Argento & Auro Itt. S. Cyril. Hieros. Cath. 18. ait; *Non solum animæ SS. honôrantur, sed creditur quod etiàm Corporibus mortuorum inest Virtus seu potentia propter tot annorum inhabitationem animarum justarum in illis quorum Ministeriò usæ sunt:* Hinc patet majorem deberi Cultum quàm Civilem SS. Reliquijs de quibus testantur Sancti Patres Præsertim S. Aug. lib. 22. de Civ c. 8. famosissimum refert factum ad Corpora SS. Gervasij, &c Quorum Authoritati fidem denegare vesana temeritas est. Dices, cum Sectario, Sancti Patres loquuntur de honore Civili (qui consistit in sepeliendis mortuis honestè) Respondet D. Ambrosius dum ait interrogando. *Cur autem non honorarent Corpus illud fideles quod reverentur dæmones? Honoro itaq; Corpus quod Christus honoravit in gladio, quod cum Christo regnabit in cælo,* Ergò talis cultus non est mere Civilis sed religiosus, Dæmon enim qui legitur ad Corpora MM. mitior fieri non attendit ad Cultum purè Civilem sed religiosum.

Objectio 1mâ. Deut. 34. Abscondit DEUS Corpus Moysi ne Iudæi illud colerent. Contra: Ipse DEUS hono-

honorem illi detulit quia ipsemet sepelivit, abscondit autem à Iudæis ne Divinos illi honores exhiberent ait S. Chrisost, ut pote proclives semper ad Idololatriā.

Objectio 2dâ. Matth 23 Reprehendit Christus Iudæos quod sepulchra Prophetarum ædificarent dicendo. *Væ Vobis Scribæ & Pharisei Hypocritæ qui ædificatis Sepulchra Prophetarū & ornatis monumenta justorum.* R. ibidem addi. *Implere mensuram Patrū Vestrorum.* Quia scilicet occiderunt Prophetas, & hoc ipsum filij eorum in Christo explere cogitabant; interea per Hypocrysim Prophetarum sepulchra honorabant palliando pietate sua, & ut viderentur ab hominibus quasi justi cum tamen ex pecunia ab hominibus, pauperibus & viduis injustè extorta ædificabant illa.

CAPUT IX.

De Numero Sacramentorum.

PLerumq; Hæreti volunt, & sic sentiunt duo esse tantum Sacramenta, scil: Baptismū & Cœnam Domini; quam Nos Vocamus Eucharistiam; Nonnulli tertium superaddunt, scil: Verbum D E I seu prædicationem: Contra quos.

Dico 1mò. De fide est septem esse Sacramenta in Ecclesia Christi. Scil: Baptismus Confirmatio, Eucharistia, Pænitentia Extrema Vnctio, Ordo & Matrimonium.

Prob: 1mò Authoritate Conciliorū Generaliū præsertim Trid. sel 7. can. 1. de sacr. & Florentini de sacr. Eccl. Tum ex Consensu unanimi ac Traditione Ecclesiæ, quàm summe æstimat D Aug. dicens Evangeliò non crederem nisi me Catholicæ Ecclesiæ Autho-

thoritas commoveret Tum ex Scriptura novi testamenti ritè intellecta patebit infra veritas cujus septenarij numeri typum gessit Illud Proverb. 9. *Sapientia ædificavit sibi Domum, excidit columnas septem, immolavit victimas suas, miscuit vinum & proposuit mensam suam, misit Ancillas suas ut vocarent ad arcem & ad mænia Civitatis Si quis est parvulus veniat ad me & insipientibus locuta est venite comedite panem meum & bibite vinum quod miscui vobis, relinquite infantiam & vivite & ambulate per vias prudentiæ &c.* Quem Textum scripturæ, sic explicat *Lyran, Expositor S. Scripturæ.* Sapientia ædificavit sibi Domum *Scil. Sapientia æterna ædificavit sibi Ecclesiam quàm ædificavit verbo & exemplo in humanitate assumpta.* Excidit Columnas septem. *Id est: septem dona Spiritus Sancti dedit vel septem Sacramenta instituit quibus fulcitur tota Ecclesia.* Immolavit victimas. *Id est: seipsam in Cruce; & dicitur,* Victimæ, in plurali; *Quia continet virtutem cujuslibet alterius Sacrificij, & hujus victimæ memoriale est Sacramentum Eucharistiæ in quo sub speciebus panis continetur Corpus Christi immolatum, quod est fidelium cibus.* Miscuit vinum. *Id est: Dedit Nobis sanguinem suum, qui conficitur ex Vino aquâ misto.* Misit Ancillas suas. *Id est Apostolos, aliosq; Discipulos, qui dicuntur Ancillæ, quia fuerunt humiles & Obsequiosi. Undè Rabbi Sa Ancillas vocat etiam Moysen & Aaron, qui fuerunt humiles & prompti ad Obsequium.* Ut vocarent ad Arcem. *Id est: ad Christi Fidem,* Et ad mænia Civitatis. *Id est: ea quæ sunt annexa fidei Articulis.* Si quis est parvulus veniat ad me. *Hic consequenter describitur invitatorum conditio, scil: humilitas.* Et insipientibus locuta est. *Id est gentilibus, qui Divinitatem tribuebant lignis & lapidibus, quod erat insipientissimum.* Venite Comedite panem meum. *Scil: Corpus meum*

sub

ub specie panis exhibitum Et bibite vinum, *scil: Sanguinem sub specie Vini.* Relinquite infantiam; *scil: vana puerilia & inutilia*, & vivite, *scil: in gratia.*

Probatur 2dò. Ex congruentia numeri septenarij & Analogia vitæ Spiritualis quam dant & conservant Sacramenta, cum vita corporali. Nam ficut ad vitam Corporalem requiritur 1. generari. 2. Crescere. 3. Nutriri. 4. Sanari à morbo. 5. liberari à morbi reliquijs. 6. habere potestatem gubernandi Rempublicam. 7 propagare genus humanum. Ita in vita Spirituali opus est. 1. generari *per Baptismum* 2. Augeri & roborari, *per Confirmationem.* 3. Nutriri, *per Eucharistiam.* 4. Sanari à morbo peccatorum *per Pœnitentiam* 5. liberari à reliquijs peccatorum, *per Extremam unctionem*; 6. Habere potestatem regendi homines in ijs quæ ad animarũ salutẽ pertinent; *per Ordinem.* 7. Propagare membra veræ Religionis ad Cultum DEI; *per Matrimonium.* Ex his Sacramentis duo, scil: Baptismus & Pænitentia, per se & directè instituta sunt ad conferendam primam gratiã justificantem, cætera ad secundam, seu ad augmentũ gratiæ; Quamvis illa duo per accidens secundam, & reliqua primam subinde conferant.

Objectio 1mâ Non possunt ostendi clarè ex Scriptura singula Sacramenta quo ad Nomen Sacramenti. Contra. Nec ipsi Adversarij Baptismum & Eucharistiam possunt demonstrare ex Scripturâ clarè quo ad nomen Sacramenti & tamen credunt illa esse Sacramenta; Vnde, dicendum est non esse necesse ut omnes Articuli Fidei contineantur clarè, aut per claram consequentiam deducantur ex Scriptura S. Nec negare possunt Sectarij qui pro Articulis fidei habent hos vel illos Libros, esse Verbum DEI scriptum, DEUM esse Trinum in Personis &c. quamvis id scriptura nullibi asserat clarè, nec inde clarè deducatur. Unde D.

Aug l. 7. de Trin. c. 4. *Dicimus in DEO tres Personas, non quia scriptura dicit, sed quia non contradicit.* T. q. Baptismus & Eucharistia etiam juxta Adversarios jam fuerunt Sacramenta novæ legis antequam ulla scriptura novæ legis existeret.

Objectio 2dâ. Patres primitivæ Ecclesiæ nihil sciunt de septem Sacramentis sed tantum duo ponunt scil: Baptismum & Eucharistiam, uti S. Aug. Ep. 118. Ad Ianuarium. Er. R. Quamvis Antiqui Patres non simul omnia Sacramenta recenseant, sed prout exigebat ipsorum propositum & materia quam tractabant, modo hæc modò alia, modo plura, modo pauciora nominent. Omnia tamen & singula habent luculenta apud illos testimonia, & est constans omnium Catholicorum doctrina, septem esse Sacramenta. Inconstans autem semper Sectariorum opinio de numero illorum licet illa pertineant ad Articulos fidei, & sint media ac instrumenta salutis. Lutherus enim Sectariorum protoparens in l. de Captiva Babylonica non reicit septem Sacramenta, sed ea ex scriptura non posse evinci ait, *quam si attenderemus unum duntaxat Sacramentum fore, se tamen pro tempore ponere tria;* in fine autem ejusdem libri ponit tantum duo. Rursus tria ponit lib. de Miss. Anpul. Anno 1534. & 1545. Ante obitum Assert. 30. Contra Academ. Lovan Vbi sic ait. *Pænitentiam cum Virtute clavium absolventium, Sacramentum libenter Confitemur &c.* Æque in constans fuit alter Lutheranismi Fundator Philippus Melanchthon qui in locis Anno 1522. editis solùm duo. Itt. Anno 1530. In Apolog. August. Conf. In quam defacto jurant Ministri Lutherani adjungit tertium nempe Pænitentiam dicens; *Si Sacramenta vocamus ritus, qui habent mandatum DEI, & quibus addita est promissio gratiæ facile est judicare, quæ sint propriè Sacramenta: Vere igitur sunt Sacramenta; Bapti-*

ptismus, Cœna Domini, Absolutio quæ est Sacramentum pœnitentiæ, Nam hi ritus habent mandatũ DEI & promissionem gratiæ quæ est propria novi testamenti. In Conventu Lipsiensi An. 1548. cum DD. Wittembergicis admisit septem. Norimbergenses An. 1646. perhibentur tria Adstruere. Ratisbonenses diversis temporibus diversum Numerum posuerunt Sacramentorum; Quid jam dicam de alijs Magistris Ministellis Vrbibus? Quid de Zwinglio qui Matrimonium, quid de Calvino qui Ordinationẽ Sacramentis annumerat? En quanta illorum discors contradictio.

Objectio 3tiâ. Non constat satis de Materia & Forma quam Romanenses adhibent pro signo externo, in quinque suis Sacramentis, Verùm nempe etquam Materiam Christus requisiverit in Ordinatione, v.g. quam Formam in Confirmatione &c. Itt. Non Conveniunt ipsi inter se circa materiam & formam in Contractu Matrimoniali, alij enim dicunt, Contrahentes esse Materiam; Verba, quibus exprimitur Consensus, esse Formam; Alij pro Materia statuunt Verba, alij contractum ipsum &c. Itt. Materiam nunc aliam adhibent v.g. in Ordinatione Sacerdotis, quàm Olim; nam anteà solummodo imponebantur manus, nunc verò traditur simul Calix & Patena, & proferuntur certa Verba ex præscripto, quod olim non fiebat. Itt. Christus & Apostoli, non adhibuerunt ejusmodi signa externa, quando Ordinarunt Sacerdotes, Absolverunt à peccatis &c. Et. ℞. ad primum etiamsi non satis constaret, an & qualem materiam ac Formam requisiverit Christus ex scriptura, tamen sufficienter Constat ex Traditione Ecclesiæ; Cui reliquit determinationem ultimam. Ad 2dum. Conveniunt omnes quo ad rei substantiam & in ijs quæ vel à scripturis vel ab Ecclesia definita sunt, nimirum; in omni Sacramento Novæ legis requiri materiam &

 for-

formam & aliquod signum externum, per quod significetur gratia conferenda & practicè illud omnes requirunt, quamvis speculative discrepent in explicanda forma & materia Sacramenti Matrimonij, an hoc vel illud quod necessario adhibendum docent habeat rationem Materiæ potiùs quàm formæ; Quod tantùm ad modum loquendi pertinet. Ad 3. negatur quod nunc adhibeatur alia materia quo ad substantiam, quàm olim in Ecclesia Christi; Nam manus imposuisse Ordinandis leguntur, Apostoli, qua impositione conferebatur Spiritus S. & potestas absolvendi à peccatis; de Calice quidem cum vino, & de patena cum hostia, quæ hodie adhibentur dum confertur potestas offerendi Sacrificium Missæ & Consecrandi Corpus Christi, nihil quidem legitur sed nec legitur quidquàm in oppositum; Eodem itaq; jure nos dicimus hoc vel saltim simile signum, quo significata sit memorata potestas tradita, fuisse porrectum ordinandis, quo jure Adversarij negant, imo longe meliori nos affirmamus, eò quod traditio, cujus initium nescitur censenda sit Apostolica, & à temporibus Christi proveniens, præsertim circa ea in quibus Ecclesia nihil statuere potest, uti est instituere Materiam & Formam Sacramentorum, seu certo signo & ritui externo alligare gratiam Sanctificantem Ad 4. De Apostolis temerè negatur, imò longè melius affirmatur Nam. 1. Tim. 4 dicitur, *Noli negligere gratiam qua data est tibi per Prophetiam cum impositione manuum Præsbyterij*; Vbi pro materia exprimitur impositio manuum, & nomine Prophetiæ, intelliguntur certa Verba, nam scriptura consvevit omnem sermonem Divinum vocare Prophetiam; Ipse Christus adhibuit signum externum v. g. in ultima cæna dum Apostolos Ordinavit, porrexit sub specie panis & vini, suum Corpus & sangvinem & dixit; *hoc facite in meam Commemoratio-*

vationem; Cui ritui correſpondet nunc traditiò patenæ cum Hoſtia, calicis cum vino. Deinde etiamſi Chriſtus ejuſmodi ritus externos non adhibuiſſet, nihil obeſſet, quia ipſe tanquàm Author gratiæ & abſolutus Dominus potuiſſet dare gratiam ſine Sacramento & remittere peccata &c. Nec fuit ipſe alligatus determinatis ſignis.

Objectio 4tá. In antiqua lege tantùm duo fuerunt Sacramenta; Circumcſio & Agnus Paſchalis tanquàm Typus Baptiſmi & Euchaſiſtiæ, Ergo pariter hæc duo dantur in nova lege. 2 Illa tantùm ſunt proprie Sacramenta, quorum materita profluxit ex latere Chriſti, ſed ex Latere Chriſti ſolum profluxit Sangvis & aqua quæ ſunt materia Euchariſtiæ & Bapaiſmi. 3. Pænitentia & Matrimonium jam fuerunt in antiqua lege, non tamen fuerunt Sacramenta Ergo neq; modo ſunt. ℞. Ad 1. N. a Nam in antiqua lege teſte S. Aug libro 19. Contra Fauſtum c. 13. fuerunt plura quàm in nova lege ſic enim ait: *Prima Sacramenta cùm Chriſtus ſuo Adventu impleviſſet, ablata ſunt, & alia ſunt inſtituta Virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora numero pauciora.* Habebant enim Circumciſionem, Agnum Paſchalem, Ordinationes varias, lotiones, & alias ceremonias inter Sacramenta: Deinde ſangvis non eſt Materia Euchariſtiæ, ſed panis & vinum; ſi autem velis Sangvinem eſſe talem materiam; Euchariſtia non erit Sacramentum Corporis ſed ſolùm Sangvinis Chriſti quia Corpus non profluxit ex latere Chriſti. Ad 3. N. Cons. Nam in antiqua lege defuit inſtitutio Divina non autem in nova.

Objectio 5tâ. Non poteſt demonſtrari vbi & quando inſtituta ſunt quinq; Catholicorum Sacramenta. ℞. N. a. Demonſtrabitur enim mox in ſequentibus capitibus veritas. Et quàmvis ita clarè prout præ-

tendunt Aduersarij non posset ostendi evidentia non tamen ideò deneganda sunt Sacramenta. Dicit en. D. Aug. l. 2 de Bapt: Contra Donatist. c. 7. *Multa non inveniuntur in literis Sacris, tamen quia custodiuntur per Vniversam Ecclesiam non nisi ab Apostolis tradita commendata creduntur.*

CAPUT X.

De Baptismo, Confirmatione ac Eucharistia.

CAlvinistæ & Lutherani conveniunt cum Catholicis de Baptismo quo ad substantiam, asserendo illud esse Sacramentum à Christo institutum; In ritibus verò & Ceremonijs disconveniunt. Circa quod Anabaptistarum est error, ac præsertim Pelagii, qui docebat sinè originali peccato nasci parvulos, & esse incapaces Baptismi, cum non possint elicere actum credendi, quem Christus prærequirit ad Baptismum. Alter error est pro quo ex modernis Sectarijs acriter stat Forbes, qui vult sine Baptismo morientes salvari, sicut in Veteri lege titulo Fæderis morientes masculi ante diem octavaum Circumcisionis salvabantur. De Confirmatione Dissidentes tenent; Quod sit tantum Ecclesiæ Ceremonia, sicut Consecratio aquæ, quâ publica fit precatio pro Baptisatis, ut illos velit DEVS gubernare Spiritu S.

Dico imò. Baptismum esse novæ legis Sacramentū regenerationis tanquam medium necessarium omnibus ad salutem.

Probatur. Ad Eph: 5. dicitur. *Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum tradidit pro ea ut illam Sanctificaret, mundans lavacro Aqua in Verbo vita, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem ma-*

culam

culam aut rugam, sed ut sit Sancta & immaculata. Itt. Ioan: 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in Regnum DEI.* Itt. Matth. 18 *Docete omnes gentes baptisantes eos in Nomine Patris &c.* Itt. Matth 16. *Qui crediderit & Baptisatus fuerit salvus erit.* Itt Trid S. 6 c. . sic decernit *Si quis dixerit Baptismum non esse necessarium ad salutem: Anathema sit.*

Dico 2dò. Parvulos fide Parentum sinè Baptismo non justificari, etiamsi sint ex Fidelibus nati.

Probtur. Qua Christus Vniversaliter dixit. Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* T q sic decernunt Concilia & Contraria sententia tanquàm hæretica damnatur T q. D. Aug. l. 4 de Bapt: c. 24. Allegat Baptisatas fuisse integras Domos & Familias, dicit quoq; hanc esse Apostolicam traditionem. Idem l. pec. Orig. dicit. *Noli docere, Infantes antequam Baptisentur morte prævenios posse pervenire ad indulgentiam Originalium peccatorum, si vis esse Catholicus.* Et Tertulianus dicit. *Fiunt non nascuntur Christiani.*

Objectio Matth. 16. Christus dicit. *Qui crediderit & Baptisatus fuerit &c.* Sed infantes non possunt elicere actum Fidei E. R. Id solùm extendi ad capaces doctrinæ scil. ad adultos, ad infantes autem illud universale præceptum spectat Ioan. 3 *Nisi quis renatus fuerit &c.* Quod bene possunt implere curantibus parentibus & patrinis. Dices cum Forbesio. 1. Cor. 2. dicitur. *Sanctificatus est Vir infidelis per mulierem fidelem & Sanctificata est mulier &c. alioquin filij vestri erunt immundi* R. S. Augustinus lib. 3. de pec. c. 12 Istam Sanctificationem, qualiscunq; illa sit, non valere ad Christianos faciendos, atq; ad dimittenda eorum peccata, nisi Christiana

ana institutione & Sacramentis efficiantur fideles; alias, si ibi Apostolus loqueretur de Sanctificatione deletiva peccati tunc sequeretur quod mulier Æthnica & infidelis ipso connubiò cum viro fideli esset libera & mundata à peccato originali, Vnde S. Paulus intelligendus est de aliqua Sanctitate Oeconomica vel politica: quod scil: Vnus alteri promitteret se velle cohabitare alteri sinè blasphemia Creatoris, prolemq; Christiano more educare. Ad illud autem de parvulis ex semine Abrahæ, morientibus ante circumcisionem. ℞. Eos non fuisse salvatos ob solum fœdus DEI cum Abraham initum, aut propter fidem internam vel habitualem Parentum, nisi illos quibus applicatum fuisset remedium naturæ quod debuit fuisse in lege veteri pro fæminis, quale autem illud fuerit? consulantur speculativi de hoc.

Dico 3tiò. Confirmationem esse novæ legis, Sacramentum quo baptisatis impositione manuum Episcopalium & Sacri Chrismatis inunctione infunditur Spiritus S. vt ad pugnam confirmentur.

Probatur. Christus D. promittit Spiritum S. Paraclitum qui consoletur in adversis, Spiritum veritatis qui eos confirmet, ut cordarè de eo testimonium perhibeant, & audeant mundum arguere qui sunt effectus Confirmationis quod patet ex Evang. Ioan. 14. & 15. & 16. Vnde Actorum 1. ait. Christus, *Accipietis Virtutem superVenientis Spiritus S. in Vos eritis mihi testes.* Itt. Actorum 8. postquam à Philippo in Samaria multi essent Baptisati, missi ad eos Petrus & Ioannes, *OraVerunt pro ipsis ut reciperent Spiritum S. tunc imponebant manus super illos & accipiebant Spiritum S.* Itt Act. 19. Corinthi, *Cum imposuisset illis manus Paulus, Venit Spiritus S. super eos.* Itt.

Luc.

Luc. 24. *Sedete in Civitate donec induamini virtute ex alto*, Ex his Autem Scripturæ locis, licet expressis terminis non habeatur Confirmationis institutio, tamen evidenter colligitur. Nam ad gratiam Spiritus S. communicandam, non alio medio quam manuum impositione Apostoli sunt usi, (ecce ritus externus) adeò, ut etiam magnis itineribus Petrus & Ioan. Ierosolimis Samariam propterea proficiscerentur, & Spiritus S. infusio illam manuum impositionem mox sequebatur (ecce gratia promissa) Neque hoc ritu absq; Christi mandato vsi fuisse credi possunt; Neq; vrgeri possumus ad clara Scripturæ verba, nam nec profitemur omnia fidei Catholicæ dogmata ex Scriptura clarè ostendi posse nec est necessarium.

Dico 4tò. Eucharistiam esse Sacramentum Novæ legis, in quo post panis & vini Consecrationem adest totus Christus verè realiter ac substantialiter sub speciebus sensibilibus panis & vini.

Pobatur. Matt. 26. dicitur. *Canantibus autem ejs accepit IESUS panem & benedixit ac fregit deditq; discipulis suis & ait: Accipite & comedite hoc est Corpus meum: & accipiens calicem gratias egit & dedit illis dicens, bibite ex hoc omnes hic est enim Sanguis meus novi testamenti qui pro multis effundetur in remißionem peccatorum.* Itt. 1. Cor. 11. *Dominus IESUS in qua nocte tradebatur accepit panem & gratias agens fregit & dixit, accipite & manducate hoc est corpus meum.* Nemo controvertit his textibus ostendi Eucheristiæ instiututionem. Quod autem Christus vere sit in illa permanentibus speciebus. Itt. de Impanatione Lutherana. De sacrificio Missæ, ac de Communione sub vna specie, dictū est c. 2. & 3. supra.

Objectio 1mâ. Hæc verba: *Hoc est Corpus meum*; figu-

figuratè sunt intelligenda Er. R. n. 2. Nam Communis regula explicandæ Scripturæ à SS PP. datur; ut nisi ab alia Scriptura, aut articulo aliquo fidei, aut à communi totius Ecclesiæ explicatione cogamur, proprium verborum sensum nunquàm dimittamus, prout dictum est c. 2.

Objectio 2da. Matth: 15 dicitur. *Omne quod in os intrat in ventrem vadit & in secessum emittitur*; sed Christus non emittitur in secessum Ergo nec in os intrat. R. n cons. Nam sicut ante consecrationem sub speciebus sinè ullo sui detrimento non erat Christus, ita corruptis in stomacho speciebus sinè ulla sui læsione desinit ibi Corpus Christi adesse. In hoc textu autem non loquitur Christus de omni quod comeditur, sed quod ad nutriendum Corpus sumitur, Eucharistia autem non ad Corpus sed ad animam nutriendam accipitur.

Objectio 3tiâ. Matt. 24. *Si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere*; Er ò nec credendum est esse in hoc vel illo Altari. R. Christum loqui de Pseudochristis, prout sonat textus.

Objectio 4tâ. Matth. 26. *Semper pauperes habetis vobiscum, me autem non semper habebitis*. R. Christum loqui de præsentia Corporali & visibili, & eo statu in quo ab hominibus aliquid possit utilitatis recipere.

Objectio 5tâ. Marci 16 *Assumptus est in Cœlum & sedet ad dexteram DEI*; Ergò si est in Eucharistia debebit Cœlum deserere. R. Non esse necesse cœlum deserere ut sit in Eucharistia, sicut quando Actorum 9. Paulo apparuit & tamen cælum non deseruit sed per omnipotentiam suam potest se in pluribus locis simul sistere.

Objectio 6tâ, Luc. 24, *Palpate & videte quia Spiritus carnem & ossa non habet sicut me videtis habere*. In Eucharistia autem nec videri nec palpari potest.

R. Affir.

℟. Affirmativè benè ſic concludi, *hoc palpatur hoc videtur. Ergo eſt Corpus & præſens eſt.* Non verò negativè: *Hoc non palpatur, non videtur, Ergò nec Corpus eſt, nec præſens eſt.* Numquid Luc. 4. Quando tranſiens per medium illorum, qui de monte præcipitare volebant eum. *Ibat*, ut non fuerit viſus! Ergò nec Corpus, nec præſens erat? quis hoc ſanè dicet!

Objectio 7mâ. Ioan 6. *Spiritus eſt qui vivificat caro autem non prodeſt quidquam.* Hic clarè dicitur Chriſti Corpus non corporaliter ſed Spiritualiter manducandum. ℟. Chriſtum non loqui de carne ſua, ſed de carnali intelligentia Capharnaitarum, qui putabant carnem Chriſti manducandam ad modum alterius carnis, nam ſibi contradiceret dum ait in eodem loco. *Niſi manducaveritis carnem Filÿ hominis &c. Non habebitis vitam in vobis.*

Objectio 8vâ. Ioan. 12. Chriſtus ait. *Ubi ego ſum illic & miniſter meus erit*, ſed Sancti non ſunt in Euchariſtia Ergò neque Chriſtus. Itt Ioan. 16. *Relinquo mundum & vado ad Patrem.* Er. ℟. ad 1. Non dicit Chriſtus. *Ubicunq; ſum* ſed *ubi ſum* pro quo ſatis eſt, ſi alicubi cum eo ſint Sancti nempe in Regno gloriæ de quo hic loquitur. Ad 2. ℟. Intelligendum eſſe quo ad converſationem humanam, quod non impedit alium præſentiæ modum.

Objectio 9nâ Actorum 17. dicitur. *DEUS non in manufactis templis habitat.* Itt, 1. Cor. 10. *Panis quem frangimus, nonne participatio Corporis eſt.* Si eſt panis Ergo non eſt Corpus Chriſti. Itt. Ad Colos 3. *Quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt in dextera DEI ſedens.* Ergo non eſt quærendus in Euchariſtia, ℟. ad 1. ſimilia loca propriè intelliguntur de Divinitate, quæ licet ſit ubiq; tamen non indiget loco, quàm indigentiam hoc Verbum, *Habitare*, infert. ℟. ad 2. Vocatur panis juxta externam apparentiam ſpecierū, quod

quod Scripturæ est familiare, 2. Phrasi Hebraica omnis cibus generatim vocatur panis. Ad 3. ℞. Non intelligi elevationem ad locum Corporalem, sed abstractionem à rebus terrenis & curis hujus vitæ ad DEUM, alioquin Astrologi omnium hominum pijssimi essent, qui animo & oculis inter sidera versantur. Dices. Ps. 113. *DEUS autem noster in cælo.* Itt. Is. 66. *Cælum sedes mea*; Ergo non est in templo vel Altari per Sacramentum. ℞. In cælo quidem gloriam regni sui manifestat, tamen extra illud ubiq; est, teste Apostolo Act. 17. *Non longe est ab uno quoq; Nostrum in ipso enim vivimus movemur & sumus.*

CAPUT XI.

De Pœnitentia & confessione auriculari.

CONfessioni auriculari inimicissimus est Lutherus in Assert. art. 9. & Calvinus l. 3. Instit. c. 4. Quâ vis uterq; sibi non constent, ex quo concedunt pænitentiam esse Sacramentum quod observat Cottoneus apud Calv. l. 4. Instit c. 19. sect. 14. & Lutherum contra Articulos Lovaniensium can. 35. Resol. de Indulg. concil. 2. de Pænitentia, dicens. *Sôlum pænitentia Sacramentum esse viam per quam inveniri potest gratia.* Ubi exprimit manifestanda esse omnia mortalia coram Sacerdote. Et infra, fatetur, se Absolutioni Sacerdotis credere, tanquam si Christus D. absoluisset. Imo ipsi Lutherani Norimbergenses cum viderent quod post abolitam per Lutherum Confessionem homines prono animo in varia ruerent scelera, volentes his injicere frænum, petierunt à Carolo V. Cæsare, ut restitueretur illorum Ecclesijs Confessio, quod solum sufficit ad damnandum errorem Lutheri & Calvini.

Dico

Dico 1mò, Pænitentiam esse Sacramentum Novæ legis in quo Sacerdotalis absolutio à peccatis quæ detestatus riteq; confessus quis fuerit impenditur.

Probatur 1mò. Ioan. 20. Christus apparens post Resurrectionem dixit Apostolis: *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* In quibus verbis datur Apostolis quædam potestas Clavium, seu Spiritualis præter illam quam dederat eis ante passionem Matt. 18. *Quod si non audierit eos dic Ecclesiæ, si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus vel publicanus. Amen dico vobis quæcunq; alligaveritis super terram erunt ligata & in cælo &c.* Hæc ergo potestas fuit data in Ordine ad excommunicandum vel vel absolvendum ab excommunicatione, illa autem post Resurrectionem data longe amplior est; juxta D. Chrisost. de Encomijs dignitatis Sacerdotalis dicentem. *DEUS per Sacerdotes perficit omnia, & mittit Spiritum S* (quod significat Collationem gratiæ deletivæ peccati) Vnde statim S. Doctor ait: *Neq; enim pura mens per propriam puritatem Spiritum attrahit sed gratia omnia operatur.* Hinc colligitur doctrina de auriculari Confessione coram Sacerdote, instituta à Christo; Decretum enim remissivum culpæ supponit suum correlativum, scil: manifestationem & cognitionem culpæ aversionemq; animi ab illa, sicut medicina supponit infirmitatem plenè cognitam: Hæc confessio vocabatur apud antiquos Patres Exomologesis, cujus frequenter meminit S. Cypr. l. de lapsis.

Probatur 2dò. Actorum 18. legitur usus talis confessionis Sacramentalis. *Multiq; credentes veniebant confitentes & annuntiantes actus suos*; Vnde S. Basilius in Reg: ait. *Necessario fateri eis peccata debent qui-*

bus credita est dispensatio mysteriorum DEI, siquidem rationem hanc in pænitentia secutos legimus in actis Apostolorum. Item Iacobi 5. legitur *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra.* In quæ verba S. Aug. c. 4. de visit. infir. ait. *Hæc quomodo complebuntur? Ergò cicatricum tuarum arbiter DEI vice adhibeatur Præsbyter & revela ei vias tuas & ipse exhibebit tibi antidotum reconciliationis* istud *Alterutrum* non accipi hic universaliter, quasi scil: etiam laico confitendum est: sed accomodè, hoc est, cum respectu ad Personam habentem hoc Ministerium; ad eum modum quo sumitur illud 1. Petri c. 40. *Vnusquisq; sicut accepit gratiam, in alterutrum ipsam administrantes;* Cur autem non dicatur expresse: *Confitemini Sacerdotibus;* Cornelius à lap. dat rationem: Id dici ad leniendum Confessionis onus, quasi diceretur: Homo homini peccata tua confitere, qui licet Officio sit superior natura tamen & obligatione confitendi æqualis. S. Clemens Rom: Ep. 1. *Si forte alicujus cor, sivue livor, vel infidelitas, vel aliquod malum latenter irrepserit, non erubescat qui anima sua curam gerit confiteri hac huic qui præest, ut ab ipso per Verbum DEI & salubre consilium sanetur* Item S. Aug. de Visit. infirm c. 5. prolixe docet quomodo coram Sacerdote, integra præmeditata de omnibus cogitatis, concupitis factis, numero consvetudine, loco, tempore facienda est, Confessio. Vltimo ad Honoratum scribens, narrat; quomodo in obsidione hostili vrbis concurrebat populus ad Ecclesiam, *Baptismum flagitantibus, alijs reconciliationem, omnibus Consolationem & erogationem, Vbi si ministri desint quantum exitium sequitur eos, qui de hoc sæculo exeunt vel non regenerati, vel ligati.* S. Chrisost. Hom. 20. in Ioan. de malis sacerd. sic ajt. *Sacerdos & manus & linguam præbet, neq; enim justum est propter alterius malitie-*

litiam ad salutis nostra symbola scil. Sacramenta accedentes offendi.

Dices 1mò. Cum Sectariis Authoritates Patrum intelligendas esse de potestate Sacerdotum & Ecclesiasticorum supra eos qui in foro externo, pro publicis peccatis ligabantur. v.g. privatione ingressus Ecclesiæ aut Communione, ab his Ergo pœnis ut absolverentur debebant in Ecclesia publicè confiteri suum delictum, non verò de absolutione in foro interno, tanto minus de secretá Cofessione Ergo ℞. n. a. Nam Patres docent Confessionem & simul absolutionem occultorum internorum in forro interno nec expediebat ad cavendum scandalum, occulta talia ad forum externum deducere, & talem potestatem & absolutionem S. Aug. vocavit Sacramentum proprie sumptum, prout D. Ambr. urget, lib 1. de Pænit. c. 7. docens: *parem fieri remissionem peccati per pænitentiam sicut per Baptismum qui est proprie Sacramentum.* Et S. Clem. Alex l. 2. Strom Vocat pænitentiam 2dum Baptismum & 2dam regenerationem.

Dices 2dò. Sanctos PP loqui de usu Exomologesis etiam privatæ coram Sacerdote, & suadere non in ordine ut quis absolvatur sed in ordine ad consulendum, vel ad orationes petendas ab illo. ℞. Iam patuisse quod Patres illi Pænitentiæ adstruant peccatorum remissionem. Deinde tàm Consilium quàm oratio posset etiá haberi ab aliquo docto & probo laico. Instabis, Patres tantum consulere non præcipere confessionem. ℞. Quia constat supra ex S. Iacobo de præcepto confitendi, ac de usu antiquæ Ecclesiæ testatus est, S. Clemens & alij Patres verbis præceptivis loquuntur. præsentiam D. Aug. dixit *Multos perire exeuntes de saculo ob carentiam absolutionis & ministri*, nemo autem condemnatur ob carentiam ejus quod est tantùm sub consilio.

Obje-

Ojectio. 1mâ. If. 43. dicitur. Ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas. 2. Non habetur mentio in Scriptura de isto Sacramento, & si fuit ab initio Ecclesiæ usus aliquis confessionis sublatus est postea à Nectario Constantinopol. 3. Quia multi Patres, præsertim Chrysost agendo de pænitentia ajunt, *effundendam esse coram DEO conscientiam*, & non dicunt coram homine. ℞. ad 1. Cur Baptisatis per hominem & quare non licet peccata dimitti per hominem? Itaq; dico aliam esse potestatem primariam & principalem, & hæc est solius DEI. Aliam delegatam: & sic, prout sine ullo inconvenienti in Baptismo est quis Minister remissionis peecati, ita & in Sacramento Pænitentiæ. ℞. ad 2. Etiam non habetur clarè in Scriptura Trinitas & consubstantialitas, & quod Baptismus sit Samentum quæ tamen non negant A catholici. Deinde de Matrimonio dicit Paulus ad Ephes. 5. *Relinquet homo Patrem & Matrem ut adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc Magnum est*, & tamen Adversarij Matrimonium dicunt non esse Sacramentum Ille autem Nectarius qui fuerat ausus abrogare confessionem Auricularem, authoritatem hic non habet ut pote universali determinationi Ecclesiæ contrarius. Ad 3. ℞. Patres loqui de pænitentia non ut Sacramentum est, sed quatenus est virtus & dispositio ad Sacramentum: cum alibi loquantur aliter agendo de Pænitentia ut illa est Sacramentum quod patet ex supradictis.

Objectio 2dâ. Manifestatio occultorum, est contra jus naturæ de servandâ famâ. Deinde. Magister sent. & aliqui Doctores Catholici tenent licite posse confiteri laico vel diacono. Idem docet S. Cypr l. 3. S. Aug. l. de vera & falsa pænit. ℞. Majus esse bonum sanitas & liberatio animæ dum mundatur à peccato quàm integritas famæ juxta Eccl: 4. Est confusio addu-

adducens gloriam. Ad 2. ℞ Ibi agi de Confessione non Sacramentali, sed in solo desiderio seu voto absolutionis Sacerdotalis consistente ad quod excitandum potest prodesse consilium alicujus etiàm non Sacerdotis: Ideò D. Aug. ibid. dicit. Potestatem solvendi lajcus non habet, fit tamen confitens illi dignus veniâ, ex desiderio (quod habet) Sacerdotis, qui socio confitetur turpidinem criminis.

CAPUT XII.

De Ordine, Matrimonio, & Extrema Unctione.

DIco 1mò. Ordo est Sacramentũ novæ legis quo Minìstri ad functiones Sacras assumuntur & consecrantur per Episcopum.

Probatur. Timoth. 4. dicit S. Paulus: *Noli negligere gratiam quæ data est tibi per Prophetiam cum impositione manuum Presbyterij.* Itt. 2. Tim, 1. *Admoneo te ut resuscites gratiam quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Cùm enim ad exercenda Ministeria Divina Opus sit aliqua vocatione DEI ut ajt D. Paulus ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus &c. Nec quisquàm sumit sibi honorem sed qui vocatur à DEO tanquam Aaron.* Hinc necesse est signo aliquo sensibili à DEO destinatò vocationem hanc innotescere; quod exprimit Paulus per impositionem manuum, quâ confertur gratia & potestas sacra ministrandi. Et sic administrasse leguntur Apostoli, idq; ex mandato & institutione Christi sibi relicta. Act. 6. habetur impositio manuum quâ Diaconos & Episcopos Ordinarunt. Itt. Act. 13. *Segregate mihi Saulum & Barnabam &c.* Actor. 20. *In quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos.*

Dices imò. Impositionem manuum ad hiberi etiam parvulis, qui tamen non ordinantur. 2. Per illam impositionem, dabatur tantùm quædam politica authoritas ad decidendas lites inter fideles, eosq; puniendos, ad prædicandum in Ecclesia sed non dabatur (ait Majfert Sectarius Lipsiensis) aliqua Sacramentalis gratia cum potestate Ordinis. 3. Per Presbyteros non intelligi Episopos, sed alias Personas, quibus competeret Ordinare per impositionem manuũ solùm enim (inquit ille) Episcoporũ erat, causas componere punire &c. Sed intelligi de totius Eclsiæ consensu destinante aliquem ad ministerium tale in Ecclesia Obeundũ, vel aliquot Seniores. ℞. ad 1. & 2. Stare contra illud SS. PP. qui exponunt citata Verba D. Pauli de aliqua particulari impositione manuum, in qua statim docent dari gratiam Sacramentalem Ordinatis, cum potestate indelebili ad Baptisandum & consecrandum. Hinc D. Chrisost in Acta. Hom: 14. docet. *Ordinatis conferri gratiam, manus imponitur, totum verò DEUS operatur & illius est manus qua ejus qui Ordinatur caput contingit.* S. Amb. in Ep. 1. Tim. sic ait: *Manuum verò impositiones, verba sunt mystica quibus confirmatur ad opus electus accipiens Authoritatem ut audeat voce Domini Sacrificium DEO offerre.* Dion. Carth. hic. *Manuum mearum (ait Paulus, qui te Ordinavi in Episcopum, per quam impositionem Presbyterium seu Sacerdotium tibi Collatum est cum gratia Sacramentali.* Ad 3. ℞. ipse S. Chrisost. qui hunc locum exponens; Non de Presbyteris hoc in loco sed de Episcopis loquitur, neque enim Præsbyteri ipsum Ordinarunt. S. Clemens Rom. Constit. Apost. l. 3. c. 10. *Solius Episcopi manibus competere ut ordinent.* De ordinatione verò seu vocatione per consensum Ecclesiæ, eam non spectare ad essentiam Ordinationis docet S. Aug. de bono Conjug.

jug. c. 24. Quemadmodum si fiat Ordinatio Cleri ad plebem congregandam, etiamsi plebis congregatiò non subsequatur, manet tamen in illis Sacramentum Ordinis.

Dices. 2. Nullibi legitur in Scriptura à Christò institutio Sacramenti Ordinis Er. Contra. Ostensum enim est licet non adeò expressivis Verbis sed juxta mentem Ecclesiæ intellectis, R. 2. retorquendo contra sectarium: Vbi etiam legitur fæminas non posse ordinari & consecrari in Sacerdotes? Deinde, ostendat Sectarius in Scripturá, posse laicum vocari à Magistratu Civili ad Sacra Ministeria, & tamen hoc non obstante id affirmat. Certe nisi innotuisset à Christo Apostolis institutio Ordinis (cujus solius est talia simbola instituere) nunquàm illum administrassent. Tempus Autem institutionis creditur esse in ultima cæna in qua Specialiter Christus Apostolos Ordinavit in Sacerdotes, ac consequenter docuit illos de his quæ necessaria erant ad Oeconomiam Ecclesiæ, ad quam spectat institutio ministrorum, neque obstat quod hoc non sit scriptum. Dicitur enim. Ioan. 21. *Alia multa fecit IESUS, quæ si scribantur nec ipsum mundum capere posse eos arbitror qui scribendi sunt libros.*

Dico 2dò. Matrimonium esse verè & propriè Novæ legis Sacramentum ad individuam vitæ Societatem inter conjuges transigendam à Christò institutum.

Probatur. Ad Ephesios 1. Sanctus Paulus dicit. *Relinquet homò Patrem & Matrem suam & adhærebit Vxori suæ, & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est ego autem dico in Christo & in Ecclesia*: Ex quo textu clare patet Matrimoniū esse Sacramentū Et quamvis verum sit, quod hæc conjunctio duoru

sit mysterium seu typus Christi & Ecclesiæ; tamen præter hanc rationem Mysterij, Matrimonium retinet rationem Sacramenti, Quemadmodum Eucharistia est simul typus seu Mysterium mortis Christi & prætereà est Sacramentum. Est quoq; matrimonium causativum gratiæ; Quia significat conjunctionem Christi cum Ecclesia quod fit per gratiam, adeoq; inter Conjuges fideles debet haberi unio per gratiam datam in Sacramento, alias si sufficeret alia unio naturalis, etiam matrimonia infidelium essent Sacramentum & Typus unionis Christi cum Ecclesia. Hinc D. Aug. ait. *Bonum nuptiarum per omnes gentes in causa generandi est in fide castitatis* (quibus verbis notatur Matrimonium ut Contractus Civilis) *quod autem ad populum DEI attinet etiam in Sanctitate Sacramenti.* Temerarie ergo dicit Forbes matrimonium debere impropriè usurpari Sacramentum, & eò sensu quo D. Cyprianus etiàm lotionem pedum vocavit Sacramentum; Et dato quod aliqui Patres usi aliquando fuerint impropriâ locutione, uti S. Cypr. de lotione pedum innuit, Non tamen verisimile usos fuisse, locutione impropriâ in Dogmaticis, alias ex ipsorum testimonijs nihil certi ac de fide concludi posset. Vnde licet in veteri lege Matrimonium fuit tantum contractus Civilis, in lege autem Nova elevatum est ad rationem Sacramenti causativi gratiæ prout dicit D. Paulus 1. Tim. 2. *Salvabitur* (mulier) *per filiorum generationem si permanserit in fide.* Scil. si peccatis gratiā non impediat; & hæc est promissiò gratiæ.

Dico 3tiò. Extremam vnctionem esse Sacramentum novæ legis quo celestis virtus ad salutē Animæ & corporis applicatur.

Probatur. Iacob. 5. *Infirmatur quis ex vobis inducat Presbyteros Ecclesiæ & orent super eum ungentes*

eum Oleo in Nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis fuerit remittentur ei. Hinc patet ad Sacramenti essentiam requiri tria. Scil. simbolum externum dum dicitur. *Vngentes eum oleo.* Promissionem gratiæ. *Alleviabit eum Dominus & si in peccatis &c.* Institutionem ex eo quod Apostolus tàm audacter promittat & tradat. Vnde S. Aug. lib. 2. de Visit Infir. c. 4. clarè de effectu gratiæ ait. *Ipsa Olei Sacrati delibatio intelligitur Spiritus S. typicalis unctio.* S. Chrysost. l. 3. de Sacerdot. eleganter ostendit, Sacerdotes potestatem habere purgandi expiandiq; homines à peccatis, non modo cum regenerant sed etiam cum inungunt, ex Oraculo præfato Iacobi; Et quamvis Hæretici negant Epistolam ejus esse Canonicam, minime sunt curandi cum tota Ecclesia Catholica & SS. Patres eam pro Canonica receperunt, Apostolo Ergo est credendum, non Acatholicis. Notat verò Cottoneus; Quod ipse Calvinus pressus vi verborum (si in peccatis est remittentur ei) fatetur extremam unctionem temporibus Apostolorum fuisse Sacramentum. l. 4. Inst. c. 9. Sed nunquid tractu temporis evanescere poterant Sacramenta?

CAPUT XIII.

De Ceremonijs, Benedictionibus Festis Iejunijsq; Ecclesiæ.

DIco. Ceremonias illas quæ præcipue adhibentur in administrandis Sacramentis vg. in Baptismo Cruces exorcismos exsufflationes Benedictiones admittendas esse, sicut & Festa ac Iejunia instituta ab Ecclesia.

Probatur. Antiquissimâ praxi Ecclesiæ, licet pro diversitate locorum & temporum diversâ, cum istæ ceremoniæ non sint quid essentiale Sacramenti, quæ licet non conferant gratiam ex Opere operato, sunt tamen valde vtiles, tum pro instrutione & excitatione per illa signa externa rudium hominum ad motus pios, tum pro signo declarativo internæ reverentiæ & discriminandi Fideles ab Hæreticis. Imò ipse Calvinus confirmat facto suo quod antiquus semper fuerit in Ecclesia usus ceremoniarum, siquidem & ille præscripsit aliquas: quod vg Baptismus non fiat nisi Diè Dominico, quòd nomen imponatur baptisato, quòd Patrini dicant symbolum Fidei, & ut lingua vernacula forma proferatur S. Aug. egit contra Manichæos & alios hæc impugnantes. S. Hieron. contra Vigilantium, qui Iejunia, delectum ciborum, cereos &c. impugnabant sicut & Festa instituta ab Ecclesia, quorum etiam indictio fuit in veteri Testamento vg. illud ex persuasione Mardochei Æsther. 9, Judith Vlt. & 1. Mahab, 4. Festum Dedicationis ad quod celebrandum ipse Christus D. legitur ascendisse Ioan. 10. Luc. 10. Mandavit Discipulis Christus. *In quamcunq; domum intraveritis dicite Pax huic domui &c.* Marci 3. Constat Christum D. Apostolis dedisse potestatem eijciendi dæmonia & consequenter instituendi signa Sacra & ritus quibus id Christi nomine præstare possent. Tq. Multi Patres extollunt effectum talium Benedictionum & exorcismorum præsertim domorum post sponsam ductam. S. Chrisost Hom. 48. in Gen. docet, *post honesta nuptiarum Mysteria, Sacerdotes vocare & precibus ac benedictionibus Concordiam conjugij constringere, ut Virtutis opera ingrediantur in domum illam, tollanturq; è medio omnes diabolt insidiæ.* & alibi dicit. *Si Sanctum quempiam inveneris qui possit domum tuam benedicere, & pedum ingressu valeat univer-*

Ver-

Versam inferre DEI benedictionem, Voca eum. De jejunio probatur exemplo ipsius Christi D. qui in tantum 40. diebus & 40. Noct. iejunavit ut postea esuriret. Exemplo Apostolorum Auctorum 13. *Iejunantes & orantes &c.* Tq. Ab initio Ecclesiæ, inductum est iejunium quadragesimale. Clem. Rom. in Can. Apost. can. 68. *Si quis Quadragesimam, aut quartam feriam aut Parasceve non iejunaverit, deponitur, praterquàm si imbecillitate Corporis impediatur, sin laicus sit Communione privetur.* Ejusdem sæculi S. Ignatius Martyr, idem docet & per sua sæcula reliqui Patres. Si autem Sectarius dicat: Nec Patres nec Ecclesiam posse id præcipere. Contra illum sunt nedum antiqua præcepta in lege veteri 1 Reg. 14. Ier. 25. sed etiam Actor. 16. præcipiuntur custoditi dogmata & decreta ab Apostolis. Ipse Christus præcipit Matt. 18. *Si non audierit Ecclesiam, sit tibi tanqàm Ethnicus.* & Paulus addit. *Servi obedite Præpositis vestris;* Quanto magis Ecclesiæ Prælatis.

Objectio. Matt. 15. dicitur. *Frustra me colunt docentes doctrinas & mandata hominum* Itt. Ibid. *Quod intrat per os non coinquinat hominem.* Luc. 10. *Quacunque apponuntur vobis manducate.* 1. Cor. 10. *Omne quod in macello venit manducate, Nil interrogantes.* Ergo Ecclesia non potest precipere iejunium sub peccato. ℞. Ad 1. In hoc loco est sermo tantùm de doctrinis privata Authoritate, vel superstitiose aut contra legem DEI introductis; quale non est præceptum de iejunio, cum fiat ab Ecclesia authoritate sibi tradita à Christo. Reliqua allegata tantùm docent, nullum cibum fidelibus esse vetitum ex se, sicut prohibebantur nonnulli Iudæis, & dequibus fuit disceptatiò inter Apostolos scil. de carnibus immolatis dæmonijs, cum quo tamen stat, quod possit esse vetitus ex novo præcepto, pro aliqua circumstantia

 tem-

temporis, alias quomodo Apostoli Act. 15. & 29. potuissent prohibere gentilibus conversis vsum sanguinis & suffocatorum. Ex quo sequitur eadem ratione posse Ecclesiam prohibere pro aliquo tempore vsum carnium & aliorum.

CAPUT XIV.

De Successione & vocatione Ministrorum Ecclesiæ.

DIco 1mò. Vocationem seu missionem Ecclesiæ Catholicæ Ministrorum quâ confertur jurisdictio, non pertinere ad populum sed immediate ad Episcopos & sumum Pontificem mediate ad DEVM loquendo de modo ordinario.

Probatur. Matt. 16. *Tibi dabo claves Regni* Ioan. 21. *Pasce Oves meas*: His Petro non populo dictis commisit Christus Ecclesiam regendam & pascendam, Ergò etiam jus vocandi & mittendi per quos mediate regat & pascat Act. 14. *Cum constituissent Paulus & Barnabas illis per singulas Ecclesias Presbyteros &c.* Hi autem non erant laici sed Episcopi. Ad Tit. 1. *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut constituas per Civitates Presbyteros* Scil. Episcopos & Sacerdotes (inquit Paulus ad Titum) quem ipse prius constituerat Episcopum, sic explicat S. Leo. Ad Hæbr. 5. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à DEO tanquam Aaron.* Rom. 8. *Quomodo prædicabunt nisi mittantur.* Ergo qui vel se ipsum intrudit vel mittitur aut vocatur à Laicis non est censendus legitimus Ecclesiæ minister.

Objectio. Joan. 20. dicit Christus. *Sicut misit me Pater & ego mitto vos*, Ergo ad eum solum spectat vocare & mittere Ecclesiæ Ministros. Itt. Act. 20. *Attendite gregi in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos rege-*

regere Ecclesiam DEI. Itt. ad Ephes. 4. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos &c. Alios Pastores & Doctores*; Scil: Episcopos. Itt. Rom. 13. *Non est potestas nisi à DEO.* Itt. Act. 6. *Placuit sermo coram omni multitudine fidelium, & elegerunt Stephanum* Itt. Matt. 16. *Tibi dabo Claves.* Matt. 18. *Quæcunq; alli. gaveritis &c.* ℞. ad 1. De Apostolis verum esse, nam ab initio sic fieri debuit, non vero de alijs Episcopis, nam Timotheum & Titum non misit DEVS immediatè sed Paulus. Ad 2. ℞. Similiter, Ad 3. ℞. Designationem muniorum talium in Ecclesia esse à Christo immediatè, non verò Personarum ad talia munia vocationē & missionē, nisi initio Ecclesiæ dum ipse in terris vixit. Ad 4. ℞. potestatem esse à DEO mediatam vel immediatam. Ad 5 ℞. populum concurrere tantùm ad designationem personæ seu præsentationem, non verò ad vocationem seu missionem, qua jurisdictio & potestas ad Ecclesiastica munia obeunda conceditur. Ad 6. ℞. Hæc dicta esse à Christo, Petro ac alijs Apostolis

Dico 2dò. Ordinationem tum Episcoporum tum aliorum non ad Laicos vel totum cætum illorum sed ad solos Episcopos pertinere.

Probatur. Lev. 8. Moyses Aaronem à DEO electum & vocatum Ordinavit & consecravit in summum Pontificem, & Filios ejus in Sacerdotes; Moyses autem non erat laicus sed Sacerdos, vt testatur David Ps. 28. *Moyses & Aaron in Sacerdotibus ejus* Itt. Hieron. Aug. Nasian. & alij Patres. 1. Tim 4. *Noli negligere gratiam quæ data est Tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterij* Scil. Episcoporū. Sic explicant Chrisost. Theodoretus ac alij Patres. Nec vnquam legitur in Ecclesia tàm veteris quàm novi testamenti quispiam à Laicis Ordinatus. Nisi forte Sectarij velint allegare Exemplum Michæ Iud. 17.

qui sculptile & conflatile sibi fecerat in Domo sua ædiculam quoq; in ea huic deiculo suo separavit, & fecit Ephod & Theraphim, vestem Sacerdotalem & vnum filiorum suorum Consecravit in Sacerdotem. Sed qualis Michas Pontifex, talis ejus Sacerdos. Errorem ipse Michas agnovit; Hinc vbi postmodum pactus est adolescentem divitem de Bethleem, mercede eum conduxit vt esset in domo sua Sacerdos dicens. *Nunc scio quod bene faciat mihi DEUS habenti Levitici generis Sacerdotem.* Ex quo perspicuum est ipsum Micham judicasse, filium suum non esse Sacerdotem verum.

Dico 3tiò. Ministros Hæreticorum qui ante defectionem à fide Ordinati erant legitimè, quamvis validè (sed illicitè) conficiant Sacramentum Eucharistiæ, illos tamen non esse legitime missos.

Probatur. Quia Missio illa seu vocatio quæ facta fuerat circa illos in Pontificia Ecclesia non fuit eis data ad exercenda Ministeria & mysteria contrariæ sibi Ecclesiæ. Dum autem dicunt Sectarij Ordinationem in Ecclesia Pontificia esse purum figmentum: & iterum quod Romana non sit vera Ecclesia sed meretrix Babilonica; Quæro! Quomodo Ergo stare poterit legitimam fuisse Ordinationem illorum Ministrorum profugorum ab illa. ℞. Mavfert. Vocationem illorum in Pontificia Ecclesia fuisse legitimam, non quatenus facta fuit in Ecclesia Pontificia, sed quatenus habet in se aliquid doctrinæ veræ, nam retinet in se Symbolum fidej & Baptismi. Sed contra est. Continere aliquid veræ doctrinæ & non totum non est Ecclesiæ veræ & legitimæ, quæ in nullo Articulo potest errare; Nam temporibus SS Patrum fuerunt aliquæ Ecclesiæ Hæreticæ, quasdam doctrinas veras habentes, in quibus tamen Ordinatio & successio Ministrorum non fugit legitima.

Dico

Dico 4tò. Ministros Hæreticorum qui nunquã fuerunt Ordinati in Ecclesia Pontificia sed à Magistratu vel Cœtu seu Ecclesia Hæreticorũ sunt destinati, tales non esse legitimè vocatos nec Ordinatos.

Probatur. Quia talium vocatio, vel est Ordinaria quæ fit à DEO, aut ex institutione Christi mediante Consensu & Cooperatione eorum quorum interest, quo pacto vocatur Parochus ab Episcopo, Episcopus à Papa. Vel est vocatio extraordinaria quæ immediate fit à solo DEO. qualis fuit vocatio Moysis Prophetarum & Apostolorum sed defacto constat Ministros Hæreticorum non esse vocatos extraordinariè nam taliter DEUS vocat præsertim vel ad aliquam promulgandam veram doctrinam vel antiquam reformandam, & testari consuevit Missionem ipsorum signis & miraculis; vt patet in Ioanne, cujus Conceptio, Nativitas fuit miraculosa; In Moyse in Christo & Discipulis ejus, præsertim dum assumerentur. Ministri autem Hæretici nec unico miraculo probant suam missionem extra ordinariam. Constat etiam eos non esse vocatos Ordinariè, nam Ordinaria vocatio à temporibus Apostolorum usque ad Ortum Lutheri, ad verbi ministerium & aliorum Sacrament: administrationem fiebat per impositionem Manuum Episcoporum, Ergo cum hoc non fiat apud Hæreticos, ministri eorum non sunt legitimè vocati in Ecclesiæ ministerium; Vndè Quærò à Sectario? vel ritus Ecclesiæ Pontificiæ in Vocatione Ministrorum legitimus est vel subreptitius, si legitimus, est noster? Ergo illorum erit illegitimus ut pote diversissimus à Nostro; si autem subreptitius? Quomodo Lutherus & alij profugi ab Ecclesia Sacerdotes sunt apud Lutheranos legitimè vocati? & quomodo tot sæculis ante Lutherum Ecclesia fuit sinè legitimis Sacerdotibus? alias nulla habuisset vera Sacramenta & sequeretur non fuisse veram Ecclesiam.

Dico

☞ Dico 5tò. In Ecclesia Catholica esse Clericos, quibus Cultus D. & functiones Ecclesiasticæ demandantur, esse etiam laicos & populares quibus nullum ministerium Ecclesiæ per se Committitur.

Probatur. Num. 18. & Deut. 18. Dicitur *Dominus esse pars & Hæreditas Sacerdotum & Levitarum*, eò quod illis noluerit dare partem in sortitione terræ sicut reliquo populo, sed illis donavit partem suam, scil. Decimas & oblationes Filiorum Israel, vnde dicuntur de sorte Domini aut Clerici quod ex græco sortem sive hæreditatem significat. Sicut Ergo in veteri testamento erant Sacerdotes & levitæ à reliquis distincti, ita & in Novo Clerici sunt distincti à populo seu à laicis. Ite Ierem. 12. dicitur. *Hæreditatē acceperunt & non ejs proderit.* vel juxta 70 ex Græco. *Sortes eorum non proderunt eis.* Quod Origenes Epiphanius & Hieron. de Episcopis Presbyteris & alijs Ecclesiastici Ordinis Clericis interpretantur.

Objectio 1. Ad Gal. 3. dicit Paulus. *Non est Iudæus neq; Græcus: non est servus, neq; liber: Non est Masculus neq; fæmina, omnes enim vos unum estis in Christo IESU.* Consequenter populus Christianus debet esse simplex sinè differentia personarum. Contra est. Apostolus his verbis solùm vult ista non facere filios DEI, sed fidem cum spe & Charitate, quod idem nos de Clericatu dicimus, nec enim ideò quisquam est DEI Filius, quia est Clericus, sed quia est Clericus benè vivens. Deinde; Corporis vnitas & simplicitas non excludit diversitatem membrorum juxta 1. Cor. 2. *Multa quidem membra unum autem corpus.*

Objectio 2dà. 1. Pet. 5. Pascite qui in vobis est gregem DEI &c. Neq; dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo. Vnde videtur à Petro tota Ecclesia Clerus vocari. ℞ Per Clerum intelligi Ordinem Ecclesiasticū non verò totā Ecclesiā. Ita D. Hier.

CA-

CAPUT XV.

De Cælibatu Ministrorum Ecclesiæ; & de Monachatu ac de Consilijs Evangelicis.

DIco 1mò. Ministros Ecclesiæ in Sacris Ordinibus constitutos teneri ad Carentiam vxorum & ad servandam Castitatem jure positivo Ecclesiastico.

Probatur. Ex Statuto & lege in Ecclesia promulgata ab Apostolis. ad Tit. 1. *Oportet Episcopum sinè Crimine esse, Sanctum continentem. &c.* T.q. ipsum Concil. Apost. Can. 27. tantùm Cantoribus & Lectoribus & qui minores susceperunt, concedit vxores. Hanc Constitutionem Apostolicam Concil Carth. II. An. 896. confirmando ait. can. 2. *Quod Apostoli docuerant & ipsa servavit antiquitas, nos quoq; custodiamus*, idem fecit Concil. Agatense Aurelianense & alia. T.q. 2. Tim. 2. *Nemo militans DEO* (in Ecclesiæ Ministerijs, juxta Chrysost. & Ambr.) *Implicat se negotijs sæcularibus.* Inter quæ Tertul in Exhort. ad Cast numerat conjugium, quod apud Gentiles etiam militibus vetitum erat, vt essent expeditiores.

Objectio 1mâ. Tim. 3. Paulus inter reliquas boni Episcopi dotes ponit conjugium, *ut sit Vnius uxoris Vir.* R. Episcopũ Paul⁹ asserit debere esse talẽ, qui antea vnam non autem duas habuerit vxores ad repræsentandam vnitatem Ecclesiæ. Non præcipit Ergo Paulus Episcopum habere vxorem, cum ipsemet contrarium fecit. 1. Cor. 7. *Dico non nuptis viduis, bonum est illis si sic maneant sicut & ego*; Et quotquot hucusq; in Latina Ecclesia fuerunt Sanctissimi Episcopi, continentes fuerunt. Et dum Apostolus ibidem monet mulieres Ministrorum esse pudicas; loquitur de eorum vxoribus quas ante Ordinationem duxerant, à

qui-

quibus tamen postmodùm se continebant, & vult non facile conjugatum Ordinandum quin moraliter de continentia etiam conjugis constet.

Objectio 2dâ. Paulus vocat Hæreticos, prohibentes Nubere 1. Tim. 4 dicens. *Discedent quidam à fide attendentes Spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum prohibentes Nubere, abstinere à Cibis quos DEUS creavit. &c* Contra. Apostolica constitutio, non prohibet absolutè in Ecclesia nuptias, sed Cælibatum tanquàm Conditionem in Ordinibus requirit; nec tamen vel ad Sacros Ordines, vel ad Cælibatum cogit. Hinc ante Sacros Ordines seriò monet singulos, ut si continere non possint, ab Ordinibus facessant, cùm juxta Apost. melius est nubere quàm uri.

Objectio 3tiâ. 1. Cor. 7. *Propter fornicationem unusquisq; uxorem suam habeat.* Quod periculum, cum etiam sit in Ecclesiæ Ministris, videtur & illis Apostolus præcipere. Contra. Loquitur de Conjugatis laicis qui uxores in Paganismo ductas volebant dimittere. Deindè, non præcipit sed suadet & contrarium sæpè eodem Capite dicit: Non tamen hæc suasio ad Ecclesiæ Ministros pertinet, quibus liberum erat Cultui Divino se mancipare, vel non: Quando autem libere Cultui D. se manciparunt, liberum non est, Cælibatum servare sed coguntur, quia liberè se necessitati subjecerunt.

Dico 2dò. Monachatus seu vota perpetua Religiosa Obedientiæ Paupertatis & castitatis non esse inventum Pontificum sed Consilia DEO grata.

Probatur. Authoritate D. Hier. Ep. ad Rust. dicentis. *In veteri etiam Ecclesia Filij Prophetarum ædificabant sibi casulas prope fluenta Iordanis, & turbis derelictis herbis agrestibus victitabant.* T.q. ab ipso initiò legis novæ Ioannes Baptista in Continentia & abdicatione rerum, Ducem se monachis præbuit De

Obe-

Obedientia Christus ipse testatur Matt. 19. *Si vis* (non cogeris) *perfectus esse vade &c. veni sequere me.* Scil. Obediendo. Itt Matt. 16. *Qui vult venire post me abneget semetipsum &c.* Scil renuntiando suo judicio & submittendo se judiciò alterius sicut ego qui fui Obediens vsq; ad mortem. Philip. 2. loquitur enim de sequela in moralibus. T. q. Ierem. 35. Laudat DEUS Rechabitas, quod obediverint in ijs ad quæ præcepto Divino non tenebantur Patri suo Ionadab præcipienti ne biberent vinum in sempiternum Domum non ædificarent, non sererent &c. & remunerat vt rem sibi gratam. De Paupertate habetur. Matt. 19. *Si vis perfectus esse, vade vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo.* Ecce præmium, cur ergo non sit DEO paupertas grata? Ita Hier. Aug. Chrysost. T q. Matt. 19. dicenti Petro. *Ecce nos reliquimus omnia!* Respondit Christus. *Omnis qui reliquerit domum vel fratres aut sorores, aut patrem aut Matrem; aut Uxorem aut Filios aut Agros propter nomen meum; centuplum accipiet & vitam æternam possidebit;* Hæc de Consilio non de præcepto explicant SS. Patres. De Castitate dicit Christus Matt. 19. *sunt qui seipsos castraverunt propter Regnum Cælorum.* Quod Sancti PP. de cælibatu exponunt. Matt 19. *Qui in terram bonam seminatus est fructum affert & facit illud* (continentia Virginalis) *centesimum Aliud* (viduita) *Sexagesimum. Aliud* (conjugium) *trigesimum.* Ita S. Cypr. Hier. Aug. Virginitatem vt DEO gratiorem alijs proferunt vt potè cui majus meritum respondet. 1. Cor. 7. *De Virginibus præceptum Domini non habeo Consilium autem do &c. Quod vult faciat, non peccat si nubat, beatior autem erit si sic permanserit secundum meum Consilium.* Itt. Is 4. *Hæc dicit Dominus Eunuchis. Qui Custodierint Sabbatha mea & elegerint quæ ego* vo-

voluti, & tenuerint fadus meum dabo eis in Domo meâ locum & nomen melius à filijs & filiabus. S. Hier. Aug. Basil. Explicant de Continentibus voluntarijs Ob verbum. *elegerint* Unde patet vota monastica esse laudabilia & valida etiamsi sunt perpetua & omnino implenda esse post promissionem quia sunt de meliori bono facta, juxta illud Ps. 75. Vovete & reddite Domino DEO vestro. Vnde. S Aug dicit *Ne voveatis & non redditatis*; *Non sitis pigri ad vovendum, non enim viribus vestris implebitis*; *Deficietis si de vobis præsumitis, si autem de illo cui voveritis securi reddetis.* Hinc Sancti Patres Hieron. Aug Basil. S Franciscus Monasticas Regulas conscripserunt, alij illasmet professi alij literis suis consolatorijs monitorijs obsecuti sunt. Alij vt S. Chrys. Ambr. Exponentes illud, 1. Tim. 5. *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Violatores votorum vocant plusquam adulteros & Sacrilegos.

Opponit impudicè Goulartius cum Ioviniano Hæresiarcha in hunc locum scribens, dicitq; SS. Patrum hyperbolicas locutiones se minus curare, cum clamet Apostolus. *Unusquisq; propter fornicationem vitandam Vxorem suam habeat, & unaquæq; suum Virum. Melius est nubere quàm uri*; & premendo particulam, *unusquisque* citat pro se S. Hier. in Ep. Ephes. & S. Chrysost. Hom. 4. in Is. *Vidi Dominum.* Respondent, S. Ambr. & Chrysostomus dicentes: Particulam. *Unusquisq;* referri tantùm Ad Vxoratos, vel illos qui timendo fornicationem nollent propositum Cælibatus; Non autem ad omnes fideles, idq; colligunt tum ex eo quod in Epistola sua suadet Virginitatem dicens. *Bonum est Mulierem non tangere &c. Hoc autem secundùm indulgentiam* (permissivè) *non secundùm imperium.* S. Hieron. contra Iovinianum à simili sic dicit; *Siquis definiat, bonum est triticeo pane*

ve-

Vesci, *tamen ne quis compulsus fame*, *niomedat flerem*, *concedo et ut Vescatur pane hordeaceo*, *num id circo frumentum non habebit puritatem suam?* Illud autem quod obicit Sectarius. *Melius est nubere quàm Vri*; non addit melioritatem nuptijs supra Virginitatem, sed supra. *Vri*, id est, per Consensum infornicationem vel concupiscentiam; ac si diceretur melius est vnum habere oculum vel pedem quàm nullum, melius est facere lucrum qualecunq; quàm damnum. *Vri*, verò est desiderijs agi, & vinci ab illis: Nam desideria pati & non vinci, Illustris viri est & perfecti. Citata Authoritas à Sectario S. Hieronymi non est in fonte. Quare fætulenti isti hirci & Capri duces sunt similis sibi gregis, Nos sequamur Agnum Cælestem cum Virginibus.

Objectio 1mâ. Consilia & opera supererogationis prohibentur à DEO, Deut 6. Matt. 22. Mar. 12. Luc. 10. præcipitur Diligi DEUS, *ex toto Corde ex tota anima &c.* Ergò nil est reliquum homini quod liberè possit supererogare cum omnia debeat. Itt. Luc. 17. *Cum feceritis omnia qua pracepta sunt Vobis*, *dicite serVi inutiles sumus*, *qua debuimus facere fecimus*, Ergo nil Amplius facere possumus quod gratum sit. ℞. ad 1. Præcipitur toto Corde diligi DEVS, vt non dividamus Cor, diligendo cum DEO aliud quod DEO advertatur quale est peccatum, quod præceptum impletur si ab illicitis abstineamus cum autem à licitis abstinemus, tunc supererogamus. ℞. ad 2. His potius consulit vt impletis præceptis non acquiescamus, sed ad opera etiam supererogationis assurgamus, & causâ vitandæ vanæ gloriæ, suggerit, vt inutiles nos reputemus servos.

Objectio 2dâ. Deut 4. *Non addetis ad Verbum quod Vobis loquor*. Ibid. 12. *Quod praecipio hoc tantùm facite Domino*, *nec addes*. Ad Philip. 4. *De catero*

fratres quacunq; sunt vera quacunq; justa quacunq; Sancta hac cogitare. 1. Tim. 5. *Volo juniores nubere filios procreare &c.* ℞. d 1. Prohibemur ad præcepta addere quod ea corrumpit, Consilia verò perficiunt non corrumpunt; quis enim dicat non licere aliquid alteri donare, eò quod præceptum sit, Alteri nil furari. ℞. ad 2. Christus addit consilia non homines; quis autem prohibeat Legislatori ad leges suas aliquid suadere amplius quàm quod legibus est præceptum. ℞. ad 3. Apostolus hic præcipit, ne contraria, falsa impudica Cogitemus, alioquin vt quæcuuq; vera positive cogitemus, debebimus & totam scripturam & totam Philosophiam &c cogitare ℞. ad 4. Apostolus non absolutè præcipit sed suadet juniores nubere, si continere non possint.

CAPUT XVI.

De libero Arbitrio, de Præceptis, de Operibus ac de Votis

DIco 1mò. In homine etiam post Adami lapsum esse liberum Arbitrium eligendi vnum præ alio vel respuendi.

Probatur. Deutoron. 30. dicitur. *Testes invoco Cælum & terram quod proposuerim vobis hodie vitam & mortem benedictiornem & maledictionem, eligite Ergo vitam.* Qui autem eligit est liber. Josue 24 *Optio vobis datur, eligite hodiè quod placet.* 2. Reg. 24. *Trium tibi datur optio, elige unum quod volueris ex his.* 2. Regum 3. *Postula quod vis ut dem tibi.* Gen: 4. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Num. 30. *In Arbitrio viri erit ut faciat sive non faciat* Eccl. 3. *Beatus Vir &c. qui potuit transgredi & non est transgressus facere mala & non fecit.* Matt. 19.

Si

Si vis ad vitam ingredi serva mandata Luc. 9. *Si quis vult venire post me abneget semetipsum.* Huc spectant omnia præcepta consilia cohortationes, ideò enim aliquid præcipitur consulitur &c. quia potest non fieri, Ita D. Aug. l de Gratia & lib. Arb. c. 2.

Objectio 1mâ. Scriptura appellat nos servos peccati corruptionis captivos à Diabolo. Itt. Is. 34. improperat. *Bene aut male si potestis facite.* ℟. ad 1. Scripturam loqui de homine lapso in peccatum ex quo sine auxiliò gratiæ surgere non potest. ℟. ad 2. Isaiam loqui & improperare idolis non hominibus.

Objectio 2dâ. 1. Cor. 12. Dicitur DEUS, *omnia operari in Nobis*, itaq; nos nihil agimus Ad Philip. 1. dicitur de DEO. *Qui capit in vobis opus bonum perficiet.* ℟. ad 1. hoc loco esse sermonem de prophetia & miraculis quæ duo solus DEUS in omnibus operatur. ℟. ad 2. Sicut cæpit dando gratiam excitantem, prævenientem, ita perficiet dando concomitantem, eas tamen nostræ libertati subiciendo, ita vt possimus etiam illis non cooperari. De his gratijs loquitur Paulus. 1. Cor. 15. *Non ego sed gratia DEI mecum* & 1. Cor. 3. *Adjutores DEI sumus.* & Addit. *Si enim volens hoc ago mercedem habeo, si autem invitus, dispensatio mihi credita est &c.*

Objectio 3tiâ. Gen. 50. *Non possumus DEI resistere Voluntati.* Itt. Ierem. 18. *Sicut lutum in manu figuli sic vos in manu mea.* Ergo totum in Nobis DEUS operatur. ℟. ad 1. Id dictum esse non de peccato fratrum Iosephi sed de dgnitate ipsius Ioseph quàm DEUS ita voluit, vt nec fratrum malitia nec aliud quidquam illi potuerit resistere, peccatum autem non potuit velle DEUS, & si ita voluisset, vt ipsi resistere non potuissent defacto non peccassent. ℟. ad 2. Quod sicut figulus cum vas quod fecit, concussit, facit aliud, ita DEUS postquam dissipaturus

 esset

esset Israelem ob peccata ejus, facturus esset aliam gentem, nisi Israel elegisset pænitentiam; & quidem Israel, non liber erat ad recipiendam dissipationem, liber autem ad agendam, vel non agendam pænitentiã.

Objectio 4tâ. Si gratia DEI adest ei resistere non possumus, si desit nihil salutiferum Operari possumus itaq; non sumus liberi. Deinde quod DEUS scit ab æterno, aliter fieri non potest, ne Scientia DEI fallatur; si Ergo scivit Petrum peccaturum, non est liber Petrus ad non peccandum. ℞ ad 1. n. ant. dicitur enim Act. 7. *Vos semper Spiritui Sancto resistitis.* Matt. 23. *Quoties volui congregare filios tuos quemadmodum congregat gallina pullos suos sub alas & tu noluisti?* Quo ad Scientiam DEI ℞. illam fundari in peccato Petri, ita vt si Petrus non peccaret in tempore, de peccato illius non habuisset DEUS Scientiam ab æterno. Prius ergo Naturâ est peccatum Petri, posterior Scientia DEI de illo; juxta illud Deut. 32. *Vidit Dominus & ad iracundiam concitatus est.* Ps. 138. *Et omnes vias meas prævidisti.*

Objectio 5tâ. Esech: 36. *Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis.* Itt. Psal. 118 *Inclina cor meum in testimonia tua.* Itt. Ioan. 8. *Qui facit peccatum servus est peccati.* Ergo non est liber. ℞. ad 1. Per Spiritum intelligitur hic gratia DEI excitans seu inspiratio qua svadet & invitat vt consentiamus ad implenda mandata, ita tamen, vt in potestate voluntatis sit consentire vel non, nimirum, adjuvat infirmitatem, non tollit libertatem. ℞ Ad 2. Qui sic orat petit â DEO gratiam ad exequendum quod libere elegit. ℞. Ad 3. Servitus peccati opponitur libertati â peccato, non verò libertati naturæ. Hinc servus peccati non est quidem liber â peccato, sed tamen est liber vt maneat in illa servitute vel DEI auxilio se liberet.

Dico

Dico 2dò. Præcepta DEI posse impleri, non qnidem per solas vires liberi Arbitrij sed cum auxilio gratiæ DEI.

Probatur. Quia præcepta D. non sunt impossibilia dicit en D. Paulus ad Philip 4. *Omnia possum in eo qui me confortat.* Ipse Christus testatur Matt. 11. *Jugum meum suave & onus meum leve.* Ioan. 5. *Mandata ejus gravia non sunt.* Esech. 36. *Spiritum meum ponam in medio vestri & faciam ut in præceptis meis ambuletis & judicia mea custodiatis & operemini.* Io. 14. *Si diligitis me mandata mea servate.* 3. Reg. 14. *Non fuisti sicut servus meus David qui Custodivit mandata mea & secutus est me in toto corde suo.* Luc. 1. Zacharias & Elizabeth, *erant justi ambo ante DEUM incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela.* Ioan. 17. Christus dicit de Discipulis suis: *Tui erant & mihi eos dedisti & sermonem tuum servaverunt.* Quod autem hi cum graria DEI fecerunt quidni & alij omnes. Unde D. Hieron. in Matt. 5. *Diligite inimicos vestros,* dicit. *Multi præcepta DEI imbecillitate sua non Sanctorum viribus æstimantes putant esse impossibilia &c. Sciendum Christum non impossibilia præcipere sed perfecta, quæ fecit David in Saule &c.* D. Aug. l. de natura & gratia c. 9. *Eo ipso quod firmissime creditur DEUM justum & bonum, impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus, omnia quippe facilia sunt charitati Cui uni Sarcina Christi levis est.* 4. Reg. 23. Laudatur Iosias *similis ante eum non fuit Rex, qui reverteretur ad Dominum in toto corde suo & in tota anima sua & in tota virtute sua, juxta omnem legem Moysi.* If. 38. Ezechias de se dicit. *Obsecro Domine memento quæso quomodo ambulaverim Coram te in veritate & in Corde perfecto & quod bonum est in oculis tuis fecerim.* Rom 8.

Quis nos separabit à Charitate DEI? tribulatio an Angustia &c. Charitas autem Consistit in Observatione mandatorum DEI Rom. 2. *Non enim Auditores legis justi sunt apud DEUM, sed factores legis justificabuntur.*

Objectio Rom. 7. *Velle mihi adjacet perficere autem non invenio.* Iac. 3. *In multis offendimus omnes.* 1. Io. 1. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus ipsi nos seducimus & veritas in nobis non est.* Ad Gal. 3. *Christus redemit nos de maledicto legis.* ℞. ad 1 Apostolus non loquitur de legis observatione sed de Actu concupiscendi, licet is citra consensum non sit peccatum, quem velit tamen non sentire, sed non possit perficere, ut non sentiat & quandoq; invitus & citra consensum Cogatur sentire, Hinc optat, hac etiam innocua necessitate liberari, inquiens: *Infelix homo quis me liberabit de corpore mortis hujus.* ℞. ad 2. & 3. S. Iacobus & Ioannes loquuntur de peccatis venialibus quæ non opponuntur directe legi D. in quæ frequenter incidimus per negligentiam vel in curiam nostram. ℞. ad 4. Moyses apposuit maledictionem ijs qui non servavissent legem ejus, atq; ab hoc maledicto redemit nos Christus non autem redemit ab observatione Decalogi, imo comparavit Nobis pro illo observando subsidia gratiæ. Undè D. Aug. ait. *DEUS non præcipit impossibilia, sed præcipiendo movet ut facias quod potes, & hoc ores, quod non potes ut te ad implendum juvet.* Et cum dicitur Act. 15. *Lex jugum insupportabile.* Intelligendum est de lege Moysaica præsertim cæremoniali quod fuerit difficilis observatu non autem absolutè impossibilis cum tamen illam multi supportarunt.

Dico 3tiò. Opera bona ex Voto facta esse DEO grata licet non sint de re præcepta.

Probatur. Deutoron. 23. *Cum votum voveris Domino DEO tuo, non tardaveris reddere, quia requiret illud Domi-*

Dominus DEUS tuus, & si moratus fueris reputabitur tibi in peccatum si nolueris pollicere absq; peccato eris. Quia non est præceptum. Gen. 28. Iacob vovit votum dicens: *Si fuerit DEUS mecum & Custodierit me in via erit mihi Dominus in DEUM, & lapis quem erexi in titulum Vocabitur Domus DEI cunctorumq; Decimas offeram tibi.* Hoc votum non fuit omnino de re præcepta quia erat Conditionatum. Is. 19. *Colent me in hostijs & in muneribus & Vota Vovebunt Domino.* Hæc de votis Christianorum explicant Patres. Hieron Cypr. &c.

Objectio 1mâ 1. Cor. 7. Paulus ad continentiã hortatur sed non ad votum quod velut laqueus est dicens. *Non ut laqueum Vobis iniciam.* Itt. 2 Cor. 9, *Unusquisq; prout destinaVit in corde suo non ex tristitia aut necessitate, hilarem enim daterem diligit DEUS.* R. ad 1. Si quis temere vel invitus voveat potest votum laqueus dici, non autem si libere & Voluntarie voveat. R. ad 2 Loquitur de necessitate quam pudor vel respectus humanus in faciendis bonis operibus, non autem de ea quam Charitas, ex qua vota fiunt inducit.

Objectio 2dâ. Eccl 5 *Displicet DEO infidelis & stulta promissio*, qualis est vg. continentiæ quàm nemo potest servare nisi ex speciali dono DEI. R. Continentiam dici quidem donum DEI sed requirens hominis Cooperationem, quia licet sine gratia DEI servari non possit, potest tamen ea (quàm sufficientem nulli vnquam negat) servari & à plurimis servatur; Quare votum illius, non est stulta promissio; aliud est si quis voveret esse Propheta &c. Esset stulta promissio, quia donum Prophetiæ est donum sine hominis cooperatione. Dices Ps. 53. dicitur. *Voluntariè Sanctificabo tibi* Ergo non ex voto quod imponit necessitatem. R. Sicut quis Voluntarie vovit ita Voluntariè votum implet ad quod se liberè determinavit.

CAPUT XVII.

De Operibus Meritorijs & Satisfactorijs de Iustificatione ac de Peccatis.

Dico 1mò. Opera bona Iustorum esse meritoria vitæ æternæ, ex cōdigno ob DEI promissionem.

Probatur. 2. Petri 1. *Satagite ut per bona Opera certam vestram vocationem & electionem faciatis, sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum Regnum.* Matt. 5. *Gaudete & Exultate quoniàm merces vestra copiosa est in Cælis.* 2. Tim. 4. *Reposita est mihi Corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Iudex.* Hebr. 6. *Non est injustus DEUS ut obliviscatur Operis Vestri.* Hinc ex justitia & de condigno ob promissionem à DEO factam dari Operibus bonis vitam æternam docent S. Aug. Cypr. & alij. Licet enim opera nostra sunt DEI, tamen etiam sunt Nostra, quia libere facimus quæ possemus non facere, vt ad Christum cum Aug. dicere possimus: *Redde quod promisisti quia fecimus quod jussisti.*

Objectio. Opera bona justorum sunt mala & peccata coram DEO nec meritoria vitæ æternæ, quæ solum ex mi'ericordia datur. Eccl. 7. Dicitur enim *Non est homo justus in terra qui faciat bonum & non peccat.* Itt. Ps. 142. *Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Itt. Is. 64. *Quasi pannus menstruatæ Vniversæ justitiæ nostræ.* Itt. Ps. 102. *Coronat te in misericordia & miserationibus.* ℞. ad 1. Sensus est juxta D. Hieron. hic, neminem tam benè Operari, quin subinde etiam veniale quid committat. Ad 2. ℞. Hominem ex se nihil habere quo justificetur sed solùm ex gratia DEI, ex qua etiam habet, quod possit benè operari. S. Aug & Greg: Volunt Davidem loqui de veni-

venialibus sinè quibus vix ullus vivit quæ operibus bonis admixta, non efficiunt quidem ut opera bona sint mala, faciunt tamen ut homo puniri possit & à præmio retardari. Ad 3. R. Isaiam loqui de insignibus peccatoribus Nam dixit v. 5. *Ecce tu iratus es, & peccavimus*, loquitur de Sacrificijs Neomenijs &c. quæ pravâ intentione vitiabant & tamen justitias vocabant. Ad 4. R. Cum merito stare misericordiam quæ venialia remittit nec prohibet meritis ex justitia dari Coronam; Ex misericordia deinde datur gratia, sinè qua bene non possumus operari; nec Christo facimus injuriam si ex gratia ejus fatemur nos habere merita nostra.

Dico 2dò. Operibus bonis & laboriosis posse redimi pænas temporales alterius vitæ.

Probatur. 2. Reg. 12. *Iejunavit David jejunio*. Ioel. 2. *Sanctificate jejunium*. Ionæ 3. Iejunium Ninivitarum. Iob. 42. *Ipse me reprehendo & ago pænitentiam in favilla & cinere* Dan. 4 *Peccata tua Eleemosynis redime & iniquitates tuas misericordijs pauperum*. Tob. 4. *Eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat*. Matt. 18. *Quacunq; alligaveritis erunt ligata*. Ex his concludit Concil. Trid S. 14. c. 15. *Sicut Sacerdotes potestatem habent à Culpa pænitentes absolvendi, ita etiam ad certa pænitentiæ Opera alligandi habent à DEO potestatem*. Dices. David Iejunijs & præcibus non potuit satisfacere pro morte filij, Ergo. R. Quia erat temporalis vitæ; DEUS enim aliter statuerat. Nota quod Calvinus absolutè teneat, Nullis operibus redimi posse pænas temporales. Lutherus verò admittit posse Voluntarijs pænis iram DEI mitigari aut averti, non tamen per modum satisfactionis, & Ecclesiam Matrem posse filios suos ijsdem impositis Castigare, sed id non pertinere ad Clavium potestatem Hoc prout erroneè dicit ita per Scripturam non probat.

Dico

Dico 3tiò. Non sola fide hominem justificari sed cum alijs Virtutibus spe, charitate, timore, pœnitentia, Baptismo, & proposito Novæ Vitæ.

Probatur. De singulis. Ad Hebr 2. *Iustus ex fide vivit*, hinc fides à SS. Patribus vocatur Origo justitiæ, janua ad vitam. Proverb 28. *Qui sperat in Domino sanabitur.* Luc. 7. *Remittuntur illi peccata multa quia dilexit multum.* Eccl. 1. *Timor Domini expellit peccatum.* Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab Omnibus peccatis suis vita viuet.* Ioan 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S.* Tandem de proposito vitæ patet, Ezech. 18. *Proicite à vobis omnes prævaricationes vestras & facite vobis Cor novum & Spiritum Novum.* Hinc Iac 2. dicit. *Videtis quoniam ex operibus justificatur homo & non ex fide tantum*, quæ vt dixi est origo justitiæ, opera verò bona cum reliquis Virtutibus sunt complementũ Fidei.

Objectio. Ad Gal 2. Paulus dicit *Non justificatur homo ex operibus legis nisi per fidem IESU Christi.* Ad Eph. 2. *Gratia DEI saluati estis per fidem non ex operibus.* Ad Rom: 5. *Iustificati ex fide pacem habeamus ad DEUM* Luc. 8. *Crede tantum & salva erit.* Ecce hic sola fides exigitur. ℟. Ad hunc vltimum textum. Verum est loqui Christum de sola fide sed in Ordine ad miraculum in excitanda Iairi filia; Ad miracula enim impetranda sola fides sufficit, cum miracula per se non faciant ad justificationem. Reliqui textus Scripturæ intelligendi sunt de fide formata alijs Virtutibus ac bonis Operibus Novæ legis non veteris. ℟. 2. Opponendo probationes immediatas.

Dico 4tò. Neminem posse esse certum certitudine fidei de sua justificatione. Prob Eccl. 9. *Sunt justi atq; Sapientes & Opera eorum in manu DEI & tamen nescit homo vtrum amore vel odio dignus sit*

sed

sed omnia in futurum servantur. 1. Cor. 4. *Nihil mihi Conscius sum sed non in hoc justificatus sum, qui autem judicat me Dominus est.* Prov. 20. *Quis potest dicere mundum est Cor meum, purus sum à peccato?* non dicit neminem; *esse mundum Corde:* Quia Christus testatur posse esse mundos Corde Matt 5. Sed neminem posse dicere, se esse mundum. Eccl. 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu &c. Ne dicas, miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur.*

Objectio 1mâ. Fideles debent esse certi de sua justificatione & de remissis peccatis modò firma fide justitiam Christi sibi imputatã apprehendant! Dicitur enim ad Rom: 5. *Iustitia DEI per fidem IESU Christi in omnes & super omnes qui credunt in eum.* Luc 17. *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite servi inutiles sumus quod debuimus facere fecimus.* Si Christus Nos jubet dicere, fecisse nos quæ debuimus facere Ergo debemus posse certi esse alioquin juberet nos mentiri Itt. Ioan. 3. *Qui facit veritatem venit ad lumen, ut manifestentur opera ejus quia in DEO acta sunt.* Qui sic audet ad justitiæ solem accedere debet certo scire sua opera esse bona. ℟. Ad 1. Apostolum loqui de prima justificatione non de secunda. Ad 2. ℟. Christus non hortatur nos vt putemus nos omnia fecisse, quæ præcepta sunt, quod esset superbire, sed hortatur ad humilitatem sinceram, vt licet bona fide fecerimus quæ sunt præcepta, & nullius transgressionis nobis Conscij sumus, tamen demissè sentiamus de Nobis cum possit peccatum Nobis occultum latere quod DEUS cognoscit. Ad 3. ℟. Hoc non sequi, nam etiam peccatores confidenter accedebant, imò Christus jubebat Matt. 11. *Venite ad me qui laboratis &c.* Deinde hoc textu docet Christus naturâ suâ, mala opera fugere lucem, bona è contra lucem non erubescere.

Ob-

Objectio 2dâ. Ad Rom 5. *Accepistis Spiritum adoptionis DEI filiorum inquo clamamus Abba Pater, ipse enim Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro quod simus filij DEI.* Si Spiritus S. Nobis dat testimonium Ergo certi simus. Ephes. 3. *In quo habemus fiduciam & accessum in confidentia per fidem ejus.* Hæc inferunt certitudinem in eo qui audacter accedere præsumit. ℟. ad 1. Latini interpretes dicunt non intelligi *per testimonium Spiritus*, revelationem sed internam aliquam svavitatem & pacem quæ est tantum signum conjecturale. Ad 2. ℟. Esse audacem, non est esse certum, sed certitudo gignit Audaciam, attamen Paulus loquitur de veritate Fidei Mysteriorum, non verò de certitudine justitiæ nostræ. Alij plures textus S. Scripturæ intelligendi sunt de certitudine morali confidentiali & Conjecturali justificationis Nostræ non verò de absoluta.

Dico 5tò. Peccata alia esse mortalia suplicio digna æterno, alia venialia, pænæ temporalia subjecta.

Probatur. Matt. 23. *Duces caci excolantes Culicem, Carmelum autem deglutientes.* Luc 16. *Quid Vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem qua in oculo tuo est non consideras.* His arguit Pharisæorum peccata Dominus, dum alia culici & festucæ, alia Camelo & trabi comparat; Quis non agnoscit illa levia, hæc grava censeri, Luc. 12. *Dico tibi non exies inde, donec etiam noVißimum minutum reddas.* Per minutum intelligunt Patres peccata levissima, quæ impunita non relinquentur. Matt. 5. *Qui irascitur fratri suo reus erit judicio qui autem dixerit, Raca, reus erit consilio; Qui autem dixerit fatue, reus erit gehenna ignis.* Quanta peccatorum diversitas, Ubi alia gehenna, alia judicio tantùm aut consilio digna censentur. Nempe qui *irascitur*, solùm interius, in

judi-

judicium vocari poteſt, & notatur Culpa venialis, qui dicit *Raca* (vox eſt nihil ſignificans niſi animi Commotionem) de eo conſultari poteſt, quali pæna ſit dignus, & notatur Ambigu tas, an venialis, an mortalis ſit Culpa. Qui dicit, *fatue*, ſcil. convitiando, dignus eſt gehenna & notatur culpa mortalis. Sic Aug. l. 1. de Serm Dom. c. 9.

Objectio. Scriptura docet Omnia peccata ex natura ſua eſſe mortalia Dicitur enim Ezech. 18. *Anima quæ peccaverit ipſa morietur*. Hic nulla ſit diſtinctio peccatorum. Rom. 6. *Stipendium peccati mors eſt*. Iac, 2. *Qui offendit in uno factus eſt omnium reus*. ℞. Hos omnes textus Scripturæ intelligẽdos eẽ de ſolis peccatis mortalibus non verò de venialibus, de quibus prædictæ probationes clarè loquuntur. Non obſtante quod Lutherus velit peccata mortalia ſola DEI miſeratione fieri venialia, quando DEUS non imputando, eorum Veniam indulget, hæc enim ejus doctrina eſt temeraria.

CAPUT XVIII.

De Viſibili Eccleſiæ capite de Primatu S. Petri ac Succeſſorum ejus.

A Catholici vt facilius poſſint irruere in gregem Chriſti Conantur opprimere Paſtorem ſeil. ſummum Pontificem negando illum eſſe caput viſibile Eccleſiæ. Porro nomen Capitis ſumitur duobus modis. 1mò. Propriè pro parte humani Corporis, quæ vulgo dicitur directiva aliorum membrorum. 2. Metaphoricè pro morali Capitè ſeu pro principe Cõmunitatis, cujus ſit dirigere & gubernare ſubditos Chriſtus Ergo Dominus in hac vita exiſtens fuit Viſibile ſimul & inviſibile Caput Eccleſiæ Nam

ſicut

ſicut naturale caput gubernat corpus humanum vel per internam influentiam communicando membris Spiritus animales, vel per Externam directionem aliorum membrorum ne in externis actionibus aberrent: ſic Chriſtus exiſtens in hac vita. dirigebat Eccleſiam. 1. per internam influentiam donorum gratiæ de cujus plenitudine accepimus omnes. 2dò. Per externam directionem, docendo, monendo, ordinando, Miniſtros, & inſtituendo Sacramenta. Nunc deniq; in Cælo exiſtens manet Caput Eccleſiæ & manebit vſq; ad Conſumationem ſæculi, prout ipſemet promiſit Matt. 28. *Ecce Ego Vobiſcum ſum &c.* modò inviſibili.

Dico 1mò. Neceſſe eſt Caput Viſibile ad regendam Eccleſiam & ad Controverſias dijudicandas, poſt Chriſti aſcenſionem.

Probatur. Sicut in Abſentia Regis ſolet in Regno Conſtitui aliquis qui vicem illius ſuppleat in externa politia, ſic loco Chriſto neceſſe eſt eſſe Vicarium ejus qui eam gubernet. Nam & Sinagoga ab vno regebatur. Tq. Eccleſia comparatur regno. Dan. 2. quod vni obtemperat. Comparatur exercitui. Can. 6. qui ab vno regitur. Comparatur Ovili cujus vnus eſt Paſtor Ioan. 4. Comparatur Familiæ, cujus vnus Paterfamilias. Luc. 12. Comparatur Arcæ quam vnus Nòé regebat Comparatur Domui prout D. Paulus dicit. 1. Tim. 3. *Scias quomodo Oporteat te in Domo DEI converſari qua eſt Eccleſia DEI Vivi Columna & firmamentum Veritatis.* Unde S. Ambroſius dicit. *Domus DEI eſt Eccleſia cujus hodie Rector eſt Damaſus.* Tq. Vnicus à Chriſto Paſtor conſtitutus eſt. Ioan. 2. Matt. 16. Et quoniam à Chriſto Eccleſia & Regimen ejus inſtituta eſt ſub viſibili Capite Ergo talis debet manere vſq; ad diem judicij. Dicitur enim Exodi 40. *Applicabis Aaron & filios ejus ad fores tabernaculi teſtamenti & lotos in dues Sanctis Veſtibus ut miniſtrent mihi*

mihi unctio eorum in Sacerdotium sempiternum proficiat. Si, teste Paulo 1. Cor. 10. In figura facta sunt nostra, quæ in Veteri testamento sunt facta Ergo in moderna Ecclesia necessariò debet esse Visibile alipuod Caput sicut fuit Sinagogæ visibile Caput Aaron summus Sacerdos, ejusq; successores

Quod autem tale Caput sit necessarium ad Controversias dijudicandas; Probatur. Necessarius est Iudex dirimens ac decidens in occurrentibus Quæstionibus de hoc vel illo puncto credendo vel non credendo: Nam si nullus foret Iudex, tunc quilibet pro Arbitrio suo teneret quod illi placeret, adeòq; nulla esset Fides Divina & infallibilis, sed tota res, Opinionibus ineptis distraheretur; sive de DEO, ejusq; existentia, sive de Christo ejusq; Mysterijs &c. instituere-tur discursus. Talem Iudicẽ Protestantes seu Lutherani dicunt esse solam Scripturam; quia pertinaciter nolunt agnoscere Iudicem Controversiarum. Nos verò Catholici necessariò Agnoscimus talem Iudicem pro Capite Ecclesiæ quæ est columna & firmamentum Veritatis, & Audimus quid nam dicat ille de sensu scripturæ qui est controversus, ac rationabiliter amplectimur ejus decisionem, edocti ab ipso Christo, illos sicut Æthnicos habendos qui non audiunt Ecclesiam, neq; errare possumus, vt pote innixi huic columnæ & firmamento veritatis: Sola verò Scriptura ex quo est obscura, atq; diversum sensum in diversis subjectis de eadem re potest causare, nequit esse talis Iudex Controversiarum. vg Aggredere D Lutherane Sabellium; Quære ex illo, Credis ne DEUM unum in natura, trinum in Personis? Respondebit ipse; Credo vnum in Natura & in Persona vnum, habentem tria Nomina nimirum Patris & Filij & Spiritus S. non verò tres distinctas Personas. Et cum illi dicis; hanc doctrinam esse impiã & blasphemam; Nam Scriptura docet

docet de pluribus Personis. Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem Nostram.* Respondebit Sabellius; ly. *Faciamus*; Non infert plures Personas sed summam authoritatem quàm etiàm Reges & Principes solent imitari, dicentes: *Nos DEI gratia Rex Poloniæ Sveciæ &c.* Quis inde audebit inferre; Ergò in vno Rege sunt tres Personæ? Unde dicit Sabellius, DEUM locutum esse ad Angelos, cum quibus non fuit DEO insolitum loqui, vt videre est 3. Reg. 22. v. 20. En habes quomodo textûs Scripturæ opponantur, & citatione citationes Augeantur sine conclusione de verò sensu. Si deinde adduces Trisagion Apoc. 4. *Sanctus Sanctus Sanctus*, pro Personis tribus: Sabellius dicet, per hoc, non tres Personas sed summam Sanctitatem DEI Significari, sicut dum Can. 1. Sponsus dicit ad sponsam; *Ecce tu pulchra es Ecce &c.* Repetitio talis non significat pluralitatem Personarum in Sponsa sed tantùm ejus eximiam pulchritudinem. Similiter si adduces illi alium textum vg. Ioan. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in Cælo Pater Verbum & Spiritus S. & hi tres Vnum sunt*; Sabellius respondebit, Tres intelligi de tribus officijs D. Vi quorum vnica Essentia & Persona æquivalet quasi tribus Personis, ratione creationis redemptionis & sanctificationis. Sicut vg. Imperator quamvis habeat plura Regna unus tamen est. Adducam in super scrutinium Scripturæ tam à Lutheranis & Calvinistis quàm ab Arianis institutum vg. Scriptum est. 1 Ioan. 5. de Christo: *Hic est verus DEUS & vita æterna.* Respondebit Arianus; ly. *Hic* refertur ad Patrem non ad Filium, nam dicitur, *Vt cognoscamus verum DEUM* & simus in vero Filio ejus. ly. *ejus.* Significat Patrem de quo immediate sequitur: *Hic est verus DEUS & vita æterna.* En quale scrutinium illorum nec tamen pervenïunt ad finem

Con-

Controversiæ, quare? Quia nolunt agnoscere Iudicem Controversiarũ summũ Monarcham Ecclesiæ quæ est Columna & firmamentum veritatis, quem Iudicem quia Catholici semper tenuerunt ideò pridem didicerunt Arianos aliosq; Hæreticos hallucinari qui sine tali Iudice Controversiarum mærguntur & cum scrutinio Scripturarum. Parcite quod dicam: Fiditis Domini Lutherani locis paralellis, & non vultis Advertere quod etiam Arianis præsto sunt loca parallela quæ tamen eos non eximunt ab Hæresi si suum sensum privatum sequantur. Scrutari proinde Scripturam, non est malum, sed malum scrutando non Audire Caput Ecclesiæ quæ est Columna & firmamentum veritatis, Ad quam nos Catholici reecurrendo facile ponimus finem Controversijs Nostris vg. Quando fuit, exorta Controversia de Paschate celebrando, Num simul cum Iudæis 14ta. diè primi Mensis celebrandum esset, vt Volebant in Asia Quartadecimani, an verò tantùm Dominico die; Quis decidit Quæstionem ferendo Vltimam sententiam? Victor Papa Nomine totius Ecclesiæ An. 198. & sic dicendum de alijs

Si quæris; Quemmodo Concordavit Ecclesia cum Petro & quovis ejus successore. ℟. Sicut Corpus bene sanum & vegetum abit manibus pedibusq; in Sententiam Capitis imperantis, sic Ecclesia Catholica abit in sententiam sui Capitis secure quod est Petrus, ejusq; quivis successor legitimus: Dixi *secure*. Nam Ecclesia credit sibi à Christo datum Caput errare non posse in rebus Fidei consequenter Nil erroneum decidere. Hic nota, sive Papa cum Consiliò dicidit; Ecclesia decidit. Sive Papa sinè Conciliò decidit Ecclesia decidit, quod patet ex hoc practico exemplo. Causæ Civiles variæ deferuntur vel ad solum Regem vel ad Parlamentum Cui præest Rex; Si deferantur ad solum Regem & ille decidit sinè Parlamento, Monar-

cha vt pote habens potestatem decidit, si deferatur ad Parlamentum Monarcha decidit sinè cujus consensu, Parlamenti decisio non valet. Sic de Petro ejusq; successoribus discurre. Monarcha enim potest dici Regnum non quidem formaliter sed Authoritativè & repreſentativè. Et quamvis Monarcha dicatur, etiam pars Regni, hoc non obest: Quia est pars eminentialis repræsentativa totius Regni. Sic summus Pontifex est Ecclesia per minentiam participatam à DEO. Si denique queres, Cur illa controversia de Circumcisione potius fuit delata ad Concilium & non ad solum Petrum. Quandoquidem solus Petrus eam potuisset decidere. ℞. Retorquendo Cur Controversiæ Civiles deferuntur ad Parlamentum & non ad solum Regem quadoquidem solus Rex potest decidere eas? Respondebis, vt decisio fiat cum Majori partium satisfactione, Nam partes litigantes, facilius acquiescunt, quando eis constat ex Communi consensu factam esse decisionem, Idem accipe de S. Petri decisione ac ejus Successorum cum Concilio Nec tamen ideo taxes decisionem sine Concilio: Nam S. Petrus Simonem Magum sinè Concilio judicavit & damnavit Act. 8. Ananiam & Saphiram Act. 5. Habuit igitur S. Petrus potestatem & cum Conciliò & sinè Conciliò judicandi. Nec fuit quisquam ausus decisioni ejus contradicere. Hoc melius infra patebit.

Objectio 1mâ. Veritas infallibilis non indiget Iudice, sed Scriptura est veritas in fallibilis Er. Scriptura non indiget Iudice. ℞. d. Scriptura non indiget Iudice quo ad se. C. quo ad nos. N. Veritas ergo Scripturæ quo ad se est sensus Spiritus Sancti, de quo cum instituitur quæstio An hic vel alius sit, debet fieri notus Nobis per decisionem talis Iudicis, qui errare non possit Brrare autem non potest Caput Ecclesiæ Cum habeat Spiritus Sancti assistentiam. Dices.

Ipsi

Ipsi Theologi Catholici disputant inter se an hoc vel illud sit de fide. Er. non agnoscunt Iudicem &c. ℟. d. a. Quando non est decisum ab Ecclesia, transeat disputant post decisionem N. 2. Neq; eo inficias quod interdum etiam decisa oppugnent; Hoc fit, vt firmentur magis contra errorem non verò infirmentur.

Objectio 2dâ. Paulus dicit. 2. Cor. 4. *Quod si etiam Opertum est Evangelium Nostrum, in ijs qui pereunt opertum est.* Ergò in prædestinatis non est opertum sed clarum Er. Iudex non est necessarius. ℟ S. Paulum loqui hic de infidelibus, vt patet ex Verbis quæ statim sequuntur; *In quibus DEUS hujus sæculi excæcavit mentes infidelium.* Hi nimirum infideles nolebant credere Evangelizantibus Apostolis, licet Apostoli suam prædicationem confirmarunt, non tantùm Prophetijs, sed etiam signis & miraculis; Ideoq; tanquàm de obstinatis. 1. Cor. 1. Sic conqueritur. *Prædicamus Christum Crucifixum Iudeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam;* Non verò de ijs loquitur qui credebant captivantes intellectum in obsequium fidei, quàmvis captum illorum superaverent Mysteria ab Apostolis prædicata, ideoq; benè faciebant, *Attendentes lucernæ lucenti in loco caliginoso.* 2. Pet. 1.

Dico 2dò S. Petrum Caput visibile Ecclesiæ institutum fuisse ab ipso salvatore.

Probatur. Verbis Christi dicentis Matt. 16. *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Unde S. Aug. in Ioan. c. 12. Ait Petrus quando claves accepit Ecclesiam Significavit.* Idem C. Vlt. in Ioan. dicit. Quæro quomodo Petrus Ecclesiam Significavit, Nisi prout caput significat corpus, Rector Civitatem S. Hieron. L. 1. Contra Iovin. C. 14. Vbi cum Petrum appellasset Petram Christi, occurrens recentiorū Hæreticorum Objectioni, qui dicunt Petrum in omnibus

bus parem fuisse Apostolis sic ait: *super Petram fundatur Ecclesia, & licet id ipsum Circa omnes Apostolos factum legatur in alio loco Evangelij & Cuncti claves acceperent Regni Cælorum, & ex æquo super eos fortitudo Ecclesiæ solidetur tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut Capite Constituto Schismatis occasio tollatur.* T. q Ioan. 21. legitur Christus post trinam Confessionem Petri, tanquàm uni præ cæteris in dilectione dixisse illi: *Petre diligis me plus his*; & reposuit quasi causalem; *Pasce oves meas.* Congruentiæ autem de Primatu Petri sunt istæ. 1mâ Quia Christus D. Petro dedit proprium Nomen, Cephas, non sine mysterio, cum Petra per Cephas, significetur, ut in ipso Nomine ejus effulgeat stabilitas Ecclesiæ 2dâ; Quoties recensentur Nomina Apostolorum in Evangelio, primo loco ponitur Petrus. 3tò. Petrus sæpe Nomine aliorum Apostolorum loquitur. 4tâ. Soli Petro prima facta est revelatio Dininitatis Christi. 5tâ. Soli Petro promissa fidei stabilitas & Cathædræ. 6tâ. Pro se Petro & pro seipso voluit Christus solvi drachmam. 7mâ. Soli Petro inter Apostolos primo Christus resurgendo apparuit. 8vâ. Solus Petrus convocat Apostolos ad electionem novi Apostoli. 9nâ. Primus promulgavit Iudæis Evangelium. 10. Primus miraculum apud Iudæos fecit. 11. Primò illi oblata fuit Vocatio Gentilicium, in Visione lintei cum Carnibus immundorum animalium. 12 Primus in Concilio Ierosolymitano tulit sententiam. Hinc colligitur Petrum fuisse primum inter Apostolos, non tantùm primitate numeri quod solum concedunt Sectarij, sed etiam primitate potestatis & supremæ jurisdictiois.

Objectio 1mâ, Omnes fideles adeoq; & Petrus & quicunq; Papa sunt membra unius corporis mystici, Scil. Ecclesiæ sub eodem Capite Christo. Dicitur enim

enim ad Rom, 12. *Multi sumus unum Corpus in Christo*; Quomodo Ergo erit Petrus simul & Caput & membrum? imo ex hoc sequitur bicipitem fore Ecclesiam cujus Caput Christus & Petrus, Deinde æquè Christus sicut Petro ita & alijs Apostolis Commendavit Ecclesiam dicendo omnibus Ioan. 20. *Sicut misit me Pater & Ego mitto Vos &c. Docete omnes gentes*. R. ad 1. S. Paulum loqui de influentia gratiæ in terna à Christo quæ gratia dimanat ex Capite invisibili, respectu Cujus, etiam Petrus fuit membrum Ecclesiæ, cum quo tamen stat, quod secundum externam gubernationem idem Petrus potuerit esse Caput visibile, sicut vg. in Regno absente Rege gubernat Rempublicam Prorex, & tamen ipsequoq; gubernatur mãdatis Regijs estq; membrum Reipublicæ participans gratiam Regis Et sicut non obstat vt juxta Paulum Ephes 5. Vir sit Caput Mulieris morale, nec per hoc negatur quod mulier habeat aliud Caput naturale, sic non obest quod Ecclesia quàmvis habeat invisibile Caput Christum, habeat etiam aliud Visibile Christo subordinatum ad 2. R. Pares fuisse omnes Apostolos in potestate Ordinis quia omnes erant Episcopi pares etiam in Sanctitate doctrinæ, non tamen in jurisdictione & gubernio. Soli enim Petro dixit Christus. *Pasce oves meas*.

Objectio 2dâ. Legitur ad Gal. 2. Paulus in faciem restitisse Petro quod certè non fecisset si Petrus fuisset Cacput Ecclesiæ. T q. etiam alijs Apostolis pastura Ovium legitur commissa quod patet ex Ep. ipsius Petri. c. 5 *Pascite qui in Vobis est gregem* Itt. Act. 20. *Attendite Vobis & Vniverso gregi in quo Vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiã quam acquisivit Sanguine suo*. R. ad 1. Si reprehensus Petrus fuit à Paulo, vitium hoc fuit conversationis, non doctrinæ vel prædicationis, Petrus enim quo ad doctrinam Fidei de-

ficere non potuit ob Christi promissionem sibi datam. Luc. 22. *Rogavi pro te ut non deficiat fides tua.* Protuit Ergo Petrus errare in facto forte in cautè simulando Iudaismum, super quo restitit ei Paulus; Neq; hinc sequitur eum non agnovisse Petrum pro Capite, etiam enim subditus licite potest corripere Regem, nec tamen per hoc negat Regem. Deinde S. Hieron. & Chrisost. docent, illam resistentiam non fuisse veram, sed simulatam seu ad speciem & per modum disputantium, vt sic veritas patuisset ex collisione duorum. Ad 2. R. Illud esse magis pro nobis. T.q. Illa potestas pascendi datur alijs à Petro, ipsi verò Petro à Christo dum audivit: *Pasce oves meas.* T.q. restrictè dictum est alijs, hij *Pascite.* Nam tantùm respectivè ad suum gregem. *qui in vobis est.* Imo per hoc roboratur Argumentum contra Adversarios, quia ipse Petrus hæc dicens demandabat cuiq; gregem & sic exercuit munus Capitis supremi.

Objectio 3tiâ. Matt. 18. Omnibus Christus dixit. *Quæcunq; alligaveritis super terrā &c.* Itt. Ioan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum quorum remiseritis peccata &c.* Ergo omnibus datæ sunt claves & potestas Itt. ad Ephes. 2. *Superædificati super fundamentum Apostolorum & prophetarum ipso summo angulari lapide Christo IESU.* Ergo non solus Petrus est hoc fundamentum. ℞ ad 1. & 2. Omnibus quidem Apostolis promittitur clavium potestas, quæ postea est illis collata, sed tanquàm legatis & Pastoribus extraordinarijs, dependenter tamen à Petro, Cui potestas data est vt Pastori Ordinario & Capiti independenter ab alijs nam ipsi soli Christus dixit. *Pasce oves meas.* ℞. ad 3. Apostoli dicuntur fundamenta sed particularium Ecclesiarum, quas primi in varijs regionibus fundarunt ex quibus Coalescit Ecclesia vnivesalis, 2. Quia primi doctrinam à DEO revelatam ace

cepe-

cepe runt & per Orbem terrarum disperserunt. 3. Quia cùm Petro fuerunt primi Pastores Ecclesiæ vniversæ; inter eos tamen Petrus erat Pastor Ordinarius & supremus illi verò extraordinarij quasi Legati vel Nuntij ad Regiones quò Petrus ipse non poterat abire.

Objectio 4tâ. Paulus dicit. 1. Cor. 3. *Fundamentũ aliud nemo potest ponere præter id quod positum est quod est Christus IESUS.* Itt. Ad Gal. 2. *Quibus neq; ad horam Cessimus subjectione.* Ibid. *Qui operatus est Petro in Apostolatum Circumcisionis & mihi inter gentes.* Ergò Paulus agnoscit subjectionem ad Petrum. ℞. ad 1. Christus à Paulo vocatur sicut revera est, Fundamentum primarium quod à seipso subsistit, & sustinet etiam Petrum, hoc autem non impedit quominus Petrus sit fundamentum secundarium. ℞. ad 2. Hic Paulus non loquitur de Petro, sed defalsis subintroductis fratribus qui urgebant vt Titus Circumcideretur. ℞. ad 3 Hæc divisio fuit tantùm Provinciarum, sicut & in Apostolis, omnibus enim dictum est, *Euntes docete omnes gentes*, & etiam Petrus ad Gentes abivit, cum sedem Romæ posuerit inter Gentes.

Quod autem Petrus sedit Romæ vt Pontifex patet ex ipsius Epistola Romæ scripta. 1. Pet: 5. *Salutat vos Ecclesia quæ est in Babilone.* Per Babilonem omnes Patres intelligunt Romam ob Idololatriam & multa peccata pro tunc vsitata. S. Cyprianus Agens de Electione & Ordinatione Cornelij Papæ Ep. 45. Ecclesiãm Romanam vocat Ecclesiæ Catholicæ Radicem & Matricem. Alij vocant Pontificem Romanum Episcopum Universalis Ecclesiæ; & dum aliquæ oriuntur dissentiones in fide, Omnes Catholici adhærent illi parti pro qua tenet Romana sententia. Imo nullum decretum statui potest pro tota Ecclesia nisi Romano Pontifice interveniente: & solus Romanus Pontifex sancire potest leges Ecclesiasticas, convocare Concilia

illiq; approbare vel reprobare. Universaliter ex toto Orbe confluunt negotia Romam pro ultimato resolutorio. Nec obstat quod per annos 74. Clemens V. usq; ad Greg. XI. Residebant Avenione in Gallijs, fuerunt tamen Veri Pontifices Romani, cum non sit de Essentia Episcopalis Iurisdictionis residentia personalis Romæ: nec alius est interea electus pro Episcopo Romano quam Pontifex Avenione existens, & in mæstissimis Schismatum casibus, semper fuit verus Pontifex, licet non omnibus satis cognitus.

Opponunt Adversarij 1. Quia duo Romani Pontifices Pelagius & Greg. damnarunt illum titulum. Episcopus Universalis Ecclesiæ seu Oecomeonicus. 2dô. Majfert Opponit Concilium Nicenum c. 6. sub Sylvestro ubi agnoscitur par potestas in quolibet Metropolitano Ægypti respectu suorum Episcoporum sicut habetur in Romano Pontifice respectu suorum. 3. Polycrates Episcopus & Ireneus restiterunt Victori Papæ Excommunicanti Ecclesias Asiaticas. 4. Firmilianus cum S. Cypr. durius scribunt Staphano Papæ, uti frustra & fastuose sibimet Primatum usurpanti. 5. Orientales Episcopi in Concil. Antiocheno & Africano denegarunt appellationes ad Romanum Pontificem 6. Opponere solent varias calumnias tam de successione Pontificum interrupta, quamquod multos criminosos habuerit. ℞. ad 1. Dici Universalem Episcopum duo significare potest vel ita ut innuatur illum tantùm esse in tota Ecclesia Episcopum & nullum alium, quod fecisse Ioannem Constantinopol: testatur S. Greg. lib. 4. Ep. 34. & hoc reprehensum est quia falsum: Vel sic, ut innuatur, Ita se esse Episcopum Universalis Ecclesiæ non derogando alijs Episcopis Authoritatem ad suas Diæceses & hoc altero sensu vocat se Pontifex Episcopum Universalem quod testatur S. Greg. l. 6. Ep. 38. & forte propter æqui-

voca-

vocationem termini, nonnullorumq; pro tunc malam interpretationem, aut ob excessum humilitatis, poterant pro aliquo tempore Pontifices Rom: abstinere ab usurpatione talis tituli. Ad 2. ℞. Id Metropolitanis Ægypti Consentiente sylvestro vel alio Papa cum Concilio ob nimiam distantiam Romæ ab illis partibus fuisse tunc concessum jure humano per delegationem, quod Iure D. competebat soli Romano Pontifici. Ad 3. ℞. Si fuit aliqua injusta Causa allegata pro motivo excommunicationis latæ, poterant illi reprehendere Papam sicut reprehenderat Paulus Petrum, non tamen per hoc negavit Authoritatem Papæ Ad 4. ℞. S. Aug. quidem l. 1 c. 18. contra Donatistas asserit in hoc peccasse Cyprianum sed l. 2. c. 4. putat ipsum correxisse erratum, sed forte suppressum est ab illis qui ejus errore delectati sunt. Ad 5. Dico. Illa Concilia non fuisse legitima neq; Vniversalis Ecclesiæ, imò plena Arianorum insequentium S. Athanasium. Ad 6. ℞ Quamvis multa Calumniose dicantur à malivolis, omnia tamen solvo Verbis S. Aug. Ep. 165 *In illum Ordinem Episcoporum qui dicitur ab ipso Petro usq; ad Anastasium qui tunc eandem Cathedram possidet, etiamsi quisq; traditor per illa tempora subrepsisset, nil prajudicare Ecclesia, neq; innocentibus Christianis, quibus Dominus praVidens de malis Prapositis, sic ait: Qua dicunt facite* (siquidem erronem contra fidem ex Cathedra docere non possunt, DEO sic res mirabiliter disponente) *Opera autem illorum nolite facere.* Reliqua obicienda possunt solvi facile ex dictis & ex dicendis.

Dico 3tiò. Quemlibet Pontificem Romanum legitime Electum succedere Petro in Primatu & Regimine totius Ecclesiæ.

Probatur. In veteri testamento quod fuit figura novi, ubi successores Aaronis fuerunt æque summi

Sacerdotes ac ipse Aaron Num: 20. Aaroni successit Eleazarus, Iud. 20. Eleazaro Phinces, & sic deinceps. Itt. Ioan: 21. dixit Christus Petro. *Pasce oves meas.* His verbis ait S. Chrisost. lib. 2. de Sacerdotio. *Christus oves quarum causa Sanguinem suum effudit tum Petro tum etiam Petri successoribus committebat.* Ex hoc textu sic Arguitur. Necesse est esse aliquem qui mortuo Petro & Ovile regat quod vsq; ad consumationem mundi manebit & oves pascat, eadem enim est necessitas semper quæ fuit ab initio Ecclesiæ, sed de facto non fuit hactenus in Ecclesia assignatus alius quàm Romanus Pontifex Er. ille est successor Petri. Prout etiam in qualibet Monarchia mortuo Rege succedit alius vel jure hæreditario vel per Electionem liberam vt fit in Nostra Polonia.

Objectio 1mâ. Matt. 28. Christus dicit. *Data est mihi omnis potestas in Cælo & in terra.* Ergo solus Christus regit Ecclesiam, ℞. Ecclesiam regi à Christo tanquam à primariò Rectore, à Romano verò Pontifice tanquàm à Vicario ejus & visibili Capite. Imò omnium Regnorum DEUS dicitur supremus Rex, hoc tamen non Obstante Quodlibet Regnum habet suum Visibilem Regem & Principem.

Objectio 2dâ. Romani Pontifices splendent divitijs & incedunt pompaticè Ergò non sunt successores D. Petri, qui fuit pauper & humilis. ℞. Externum apparatum & Gloriam Pontificum Romanorum esse rem indifferentem, neq; successionem impedientem, aut officium Pastorale variantem: Imò opulentia splendor & potentia tantæ Personæ ad retundendos Ecclesiæ inimicos plurimum prodest; & sicut initio Christus pauperem Ecclesiam medijs supernaturalibus miraculis & Martyrijs defendit & propagavit, ita postmodum placuit ipsi eam defendere & propagare adminiculo mediorum naturalium, faciendo illam glori-

o sam

osam opulentam potentem, quæ potentia si ab fuisset in Episcopis Germaniæ pridem Hæreticorum Avaritiæ in predam cessissent adhuc plures ditiones & Episcopatus, Quam opulentiam & gloriam Ecclesiæ Catholicæ (quæ maxime debet splendere in Capite) prædixit Isaias c. 49. *Et erunt Reges Nutritij tui, & Reginæ Nutrices tuæ; Vultu in terram demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent.* Hinc oscula pedum ac Pontificum admittenda sunt; Prout & Christus à Magdalena admisit, ad pedes Apostolorum abiciebant pecunias Christiani ex reverentia vt docet D. Chrisostomus. Coronam quoq; auream ferre potest Pontifex Nam Exodi. 28. Iussu DEI vsus est Corona Aaron, quàmvis illius Sacerdotium Umbra tantùm fuit nostri. Quod verò illa corona fuit triplex testatur Iosephus lib. 3. Antiq. c 7. illamq; asserit auream. Præterea si Corona aurea non obest Sanctitati Imperatorum & Regum neq; oberit Sanctitati Pontificum.

Objectio 3tiâ. Christus non habuit Comitatum, & alere multos est immiscere se negotijs sæcularibus. Paulus enim ad Tim. dicit. *Nemo militans DEO implicat se negotijs sæcularibus*; negotia quippe sæcularia spectant ad statum Civilem, non ad statum Sacerdotalem. Ergo Pontifex non debet illa attingere. ℟. Christum habere comitatum tam honoratum quàm esse poterat, nam plures quàm 80. Viri eum antecedebant & sequebantur scil. Discipuli 72. Apostoli 12 &c. Nobiles in Comitatu non admisit quia fugiebat suspicionem affectati Regni, & certe si Pilatus & Herodes in eum credidissent, etiam illum secuti fuissent, consequenter nunquàm Dominum gloriæ Crucifixissent, & sic Redemptio impedita fuisset; Odorem etiam nardi non rejecit, & honorem sepulturæ. Modo verò nil Obest quin Domus Episcoporum sint

Scho-

Scholæ Nobilis juventutis, abusus Personarum est vitium non status. Similiter procul à vitio implicare se negotio sæculari ex necessitate, Paulus enim pro sua vtilitate manibus laborabat, idem fecisset pro publica necessitate, si opus fuisset. Civilis quoq; status ac Sacerdotalis non contradicunt sibi. Nam vg. Medicina & Iurisprudentia sunt res diversæ, sæpe tamen in eodem reperiuntur homine: sic Moyses simul erat Princeps & Sacerdos, Melchisedech Rex erat salem, Heli, Samuel &c. erant simul Iudices & Sacerdotes. Prophetæ ipsi multa scripserunt quæ pacem Reipublicæ spectabant, imò Nihil statui solebat in consultis Prophetis & Sacerdotibus: Ministri ipsi Dissidentiū exercent mercaturas Opificia, curam gravē Vxorum & liberorū & tamen sine dispendio sui Officij.

Dices. Saltem Ergo summus Pontifex non deberet pœnas exercere in Dissidentes circa fidem. ℞. 1. Tim: 1. Paulus Hymæneum & Alexandrum qui diffidebant in Articulo Resurrectionis tradidit sathanæ. Deut. 13. *Si surrexerit in medio tui Propheta qui somnium se vidisse dicat &c. Propheta ille, aut fictor somniorum interficietur, quia locutus est ut vos averteret à Domino DEO vestro &c.* Nec obstat quod Dissidentes allegant, imò. Is. 11. Non nocebunt neq; interficient in vniverso monte Sancto meo. 2. Lucæ. 9. Increpuit Christus Iacobum & Ioannem qui volebant vlcisci de Samaritanis 3. Petrum Item Christus arguit quod sumpserit gladium. 4. Quia dictum est. *Sinite utraq; Crescere usq; ad messem.* ℞. ad 1. Esse sermonem de aspide & regulo, qui notant Hæreticos, & promittitur quod hi non Conficiant Ecclesiam. Ad 2. & 3. ℞. Petrum eo tempore & illos duos, esse privatos non Pontifices. Ad 4. ℞. Zizania debere tolerari quando est periculum, ne cum illis eradicetur Triticum: Quia potior habenda ratio boni con-

conservandi quàm mali extirpandi. Ut autem Sectarij ex innato livore odiosum reddant Papam imperitæ plebi; dicunt illum esse Antichristum quia est valde superbus, ostendit se tanquam DEUM se extollendo super Imperatores; Quia facit falsa miracula Laureti, Ootingæ veteris &c. Quia suis imprimit Characterem Antichristicum, scilicet per vnctionem in Confirmatione. Quia sedet in templo DEI; & hæc (dicunt illi) esse signa Antichristi. ℟. Non ex superbia extollitur Papa supra Imperatores, sed à Christo ita extollitur vt pote Constitutus super omnes oves Christi inter quas etiam numerantur Imperatores &c. DEUM quoq; non se facit aut Christum sed illum adorat cujus se vicarium novit; Interpretantur malignè adversarij eminentiam summi Pontificis pro superbia, dissimulantes interim humilitatis indicia, vg. dum se vocat servum servorum DEI, dum pauperum lavat pedes & osculatur in Cæna Domini, dum visitat hospitales ædes &c. Neque etiam Papa facit miracula sed ipse DEUS per intercessionem B. V. MARIÆ ad e us statuas, Antichristus autem ficta miracula patrabit & imprimet characterem sensibilem omnibus suis asseclis. Petrus etiam sedit in Ecclesia Christi & tamen nemo ausus est illum vocare Antichristum. Deinde Antichristus ille magnus quem Iudæi recipient pro messia, erit singularis, Papa autem Romanus non est singularis Persona, sed sunt plures per Continuam successionem, nec vllus se dicit messiam aut DEUM. Vel si Nomine Antichristi intelligunt Hæretici omnes illos qui adversantur Christo falsa docendo aut Ecclesiam Christi persequendo dequibus S. Ioannes dicit c. 2. *Nunc Antichristi multi sunt*. Et tunc non Papa sed illi qui ab Ecclesia egressi novam doctrinam tradunt, quales sunt ipsimet Hæretici & Apostatæ à Fide.

Dico

Dico 4tò. Summum Pontificem cùm totam Ecclesiam docet, tam in his quæ ad Fidem pertinent, quàm in Præceptis morum quæ toti Ecclesiæ præscribuntur; nullo modo errare posse. Ita vt infallibilitas non in Concilio Episcoporum aut Consiliariorum sed in ipso Pontifice declarante vel approbante sit Statuenda.

Probatur Matt. 16. Christus Petro dixit. *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam & Portæ Inferi non prævalebunt adversus eam.* Luc. 22. *Simon Petre ecce sathanas expetivit vos, ut Cribraret sicut triticum, Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando Conversus Confirma, fratres tuos.* His Verbis intelligitur Christus duo pro Petro petijsse, imò vt ipse quantumvis à diabolo tentetur, non possit unquàm veram fidem amittere. 2. Vt ipse tanquàm Pontifex non possit vnquàm docere aliquid contra fidem, nec in sede ejus vnquàm inveniatur, qui contra veram fidem Catholicam doceret. Ioan. 21. *Pasce Oves meas.* His verbis constituitur Pastor & Doctor Ecclesiæ, quem illa tenetur audire & sequi, Unde Pontifex non debet posse errare, alioquin & Ecclesia poterit errare, quod esset contra Christi promissionem. Deniq; patet veritas ex continuata traditione Ecclesiæ quod electus in summum Pontificem pacificè & receptus vel saltim Canonicè non depositus etiam sinè Concilio Generali possit infallibiliter decidere in Materia fidei

Objectio. Quod Petro dictum fuit etiam dictum est successoribus Ergo omnes successores Petri debebunt Christum negare & rursum converti quam fiant Pontifices, quià dictum est Petro; *& tu aliquando conversus confirma Fratres tuos.* ℞. Lij. *Convesus.* Non est intelligendum de Petri conversione à peccato negationis Christi, sed de tentatione aliorum in

Eccle-

Ecclesia ad quos debeat ille, & alij successores converti. vt confirment eos. Si autem Sectarius velit intelligere; iij. *converti* à peccato, tunc hoc dictum est Petro vt privatæ personæ non vt Pontifici.

Opponunt Dissidentes varios errores aliquorum Pontificum vg. Marcellini Liberij Acatij &c. Ergo Pontifex non est infallibilis in docendo ℞. Errores si aliqui fuerunt in quibusdam Pontificibus fuisse tantùm personales non verò Cathedrales. vg. Marcellinus vi tormentorum territus commisit idololatriam, quòd crimen non tantùm lacrymis verùm etiàm Martyryo expiavit. Liberius Papa licet à Crimine non excusetur, dum metu coactus ac tædio diuturni exilij impulsus, Arrianæ Hæresi subscripserit, nunquàm tamen Corde & animo Arianus fuit, nec vnquàm Arianismum ex Cathedra Romana Ecclesiam docuit; Imò sedi suæ restitutus, strenuè Constantiò, & Ariminensi Formulæ Fidei & Decretis Arianorum restitit, ac Athanasio Catholicam Fidei professionem misit. Errant Autem turpiter, qui Acatium propter Hæresim damnatum dicunt non enim is Pontifex fuit sed Patriarcha Constantinopolitanus, à Felice. III. & Gelasio I. damnatus. Ioannes XXIII. In Costantiensi Synodo ex vulgi rumore & inanibus conjecturis dicebatur, carnis sutrectionem & vitam æternam negasse, sed cum non fuerit certus Papa, nil evincitur ex privato ipsius errore. Martinus V. non dispensavit vt aliquis suam germanam sororem, in Matrimonium acciperet, sed vt ejus sororem quàm carnaliter prius cognoverat duceret, ex qua Copula impedimantum affinitatis dirimens dispensabile à Papa fuit, Nam de plenitudine potestatis potest Pontifex in jure humano dispensare. jus verò Divinum tantùm declarare potest. Quod Stephanus V. decreta Formosi resciderit; erat facti error non juris, mali exempli,

pii, non doctrinæ, in quo genere vt pote quod ex informatione hominum eorumq; testimonio dependet, Pontifices vt privatæ Personæ errare possunt, non verò vt ex Cathedra docentes. Itaq; Pontifices defectuosi quâ tales non sunt successores Petri & Vicarij Christi quo ad exactam vitæ Sanctimoniam, sunt tamen quo ad potestatem Apostolicam. Fere sicut sceleratus Sacramentorum Minister, quàmvis sit difformis vitæ Apostolicæ, retinet tamen eandem potestatem conficiendi Sacramenta quam habuerunt Apostoli & Sancti habent Ministri. Et sicut Princeps sæcularis non amittit potestatem Civilem, licet vitam ducat sceleratam & Civilibus moribus difformem sic in proposito. Cæterum Pauci fuerunt defectuosi Pontifices, & plurima illis affinguntur ex livore innato ab hæreticis & malevolis. Verum tamen defectuosi Pontifices meliores fuerunt quàm Authores Lutheranorum & Calvinistarum &c. Quia nullus ex ijs perpaucis Pontificibus Contra votum Castitatis perpetuæ ac Religiosæ publicas nuptias celebravit, nullus suas turpitudines approbavit & potestatem concessit Violandi vota Castitatis, atq; ad id alios animavit prout fecit impiissimus Lutherus & Calvinus eorumq; Asseclæ. Cur Hæretici semper eructant turpem paucissimorum Pontificum vitam; & dissimulant 34. Martyres 42. Confessores publico Ecclesiæ Iudicio Sanctis annumeratos, plerosq; bonos & laudabiles? Quia scil. delectantur sordibus. Etiamsi sedens super Cathedram Petri malus sit, tamen Officium est Sanctum ratione cujus quilibet successor Petri vocatur Sanctissimus & Ecclesia militans Catholica dicitur Sancta, quia in ea continetur summa honestas & Sanctitas doctrinæ & Articulorum fidei; non obstante quod in ea multi flagitiosè vivant & sponte suâ à via veritatis recedunt, quâm illis demonstrat Fides

Catho-

Catholicæ Ecclesiæ, eosdemq; vrget recedere à vitijs, & per exercitium virtutum tendere ad perfectionē.

Dico 5tò. Concilia Oecumenica à summo Pontifice confirmata non possunt errare in Fide & moribus.

Probatur. Matt. 18. Christus dicit. *Ubi duo vel tres congregati sunt in Nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Si autem Christus est in medio eorum quā Ecclesiam repræsentant, quomodo possunt errare. Christus ergo hic loquitur de plurium Congregatione, arguendo à minori ad majus, prout sequens versus 17. ostendit: *Dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus vel publicanus, Amen dico vobis quæcunq; alligaveritis &c.* Itt. Ioan. 14. *Ego rogabo Patrem & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum Spiritum Veritatis &c. Paraclitus autem Spiritus Sanctus quem mittet Pater in Nomine meo, ille vos docebit omnia & suggeret vobis omnia quæcunq; dixero vobis.* Hinc Act. 15. Primum Concilium Ierosolymitanum inquiens; *Visum est Spiritui Sancto & nobis;* non potest erroris argui, nec consequenter reliqua Concilia, quibus Spiritus S. æque ac huic assistit. Itt. Luc. 10. *Qui vos audit me audit.* Si à DEO jubemur Apostolos & eorum successores vt Magistros Nostros audire, signum est quòd non possint errare vt pote in Nomine Christi Congregati. Deinde ostensum est superius Ecclesiam non posse errare, quæ est columna & firmamentum veritatis.

Opponunt Dissidentes. Actor. 20. *Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos non parcentes gregi. & ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa vt abducant discipulos post se.* Matt. 24. *Multi Pseudoprophetæ surgent & seducent multos.* Is. 56. *Speculatores ejus cæci omnes, nescie-*

runt universi videntes vana, amantes somnia, ipsi Pastores ignoraverunt. Ierem. 16. *A Propheta usq; ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum.* Ose 9. *Propheta laqueus ruinæ factus est.* Ierem 14. *Falsò Prophetæ vaticinantur in Nomine meo.* Ergo si hi errarunt, etiam in Conciliò congregati possunt errare. ℞. ad 1. & 2. Hæc aptissime quadrare ipsis Hæreticis docet D. Ambbr & S. Clemens, nam adhuc vivente Paulo; Hymeneus, Alexander & alij surrexerunt. 1. Tim: 1. ℞. ad 3 4. & 5. Loqui de Prophetis privatim loquentibus, non verò legitimè congregatis. Deindè Sacerdotes veteris testamenti, non habuerunt illam à DEO infallibilitatis promissionem sicut Novi testamenti Ecclesia. Matt: 16. Ad vlt. ℞. DEUM loqui de Pseudoprophetis de quibus mox addit, *Non misi eos & non præcepi eis neq; locutus sum ad eos.* Episcopi autem sunt legitime missi consequenter in Conciliò legitimo errare non possunt. Nota. Concilium legitimum indefiniendis articulis fidei & faciendis morum decretis esse infallibile in ijs tantum in quibus est sententia definitiva, non verò quo ad omnia illiùs verba Undè infallibile non est quo ad rationes & argumenta quibus Concilium probat suas definitiones, quia definitiones non nituntur illis argumentis humanis, sed inspiratione Divina, quæ quidem postulat humanos discursus, sed solum vt dispositionem præviam. Itt. Infallibile non est quo ad decisiones personam particularem spectantes, aut Circa quæstiones facti, saltim particularis, non habentis necessariam connexionem cum quæstione Iuris, aut aliquo fidei Articulo aliunde satis revelato; Quia error circa personam aut factum particulare, vg. hunc hominem esse excommunicatum aut docuisse Hæresim &c. Non affert grave in commodum Ecclesiæ, nec totius Ecclesiæ interest, Quare nec Ecclesia hujusmodi verita-

tem

tem definire intendit. Infallibilis ergo est concilij authoritas in decretis morum quo ad substantiam, ita vt consulere vel præcipere malum, & dissvadere vel prohibere bonum nequeat. Siquidem quo ad modum & circumstantias errorem contingere non repugnat vg. per nimiam multitudinem & arduitatem legum, vel casu quo propter certas circumstantias in aliquo loco vel tempore leges non sunt vtiles Communitati: & hinc etiam leges optimæ possunt iterum abrogari mutatis circumstantijs, sicut abrogata est lex de suffocatis & sangvine non comedendis lata in Concilio Apostolorum Act: 15.

Dico 6tò. Summum Pontificem etiàm extra Concilium Generale habere supremam potestatem obligandi totam Ecclesiem per leges à se latas, ferendiq; decreta in materia fidei & morum.

Probatur. Ille potest leges ferre pro tota Ecclesia qui est legitimus superior & Rector totius Ecclesiæ sed Papa etiam extra Concilium est talis Rector quia est Vicarius Christi, omnes omnino oves sinè vlla exceptione habens Commissas sibi à Christo, & licet Episcopi sint veri Principes & Pastores animarum, non meri Vicarij Papæ, sunt tamen oves illius vt pote illi subordinati. Iuxta illud Rom: 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* T.q. Si Papa extra Concilium non haberet talem potestatem, tunc non omni tempore esset infallibilis Authoritas Ecclesiæ nec illi benè provideretur si leges salutares non possent in illa condi ac decreta formari exigente id Necessitate continua in Materia fidei & morum, cum omni tempore Oriri Hæreses & dubia circa res fidei nasci possunt. Concilia autem Generalia rarissime & difficillime ac Magnis sumptibus congregari possunt. T.q. Si sententia Papæ redderetur infallibilis per Consensum Ecclesiæ, tunc Papa nil haberet

speciale ab alijs Episcopis imò à privatis Doctoribus; cum etiam horum sententia evadat infallibilis Conspirante in eam tota Ecclesia. Atqui Papa debet habere ab his aliquid speciale, cum pro ipso rogaverit Christus ut non dificiat fides ejus, penes ipsum sit Confirmare fratres, super ipsum est ædificata Ecclesia: Consensus autem Ecclesiæ subsequens ab hoc servit, vt quo ad nos magis constet Papam ex Cathedra esse locutum.

Opponunt Diffidentes, Christiani non possunt ad stringi mandatis hominum. *Ubi enim Spiritus ibi libertas* 2. Cor: 3. *Non sumus ancillæ filij, sed liberæ qua libertate Christus nos liberavit* Gal. 4. *Nolite iterum jugo servitutis contineri.* Gal. 5. Ergo Papa vt pote homo non potest fetre leges &c. ℟. Libertatem consistere in liberatione à paccato & à servitute Legum Ceremonialium & Iudicialium quæ fuerunt graves & plurimæ Lex autem gratiæ est jugum suave & onus leve. Adeoq; libertas Evangelica non consistit à liberatione ab omnibus Præceptis Præpositorum Nostrorum. *Obedite Præpositis vestris* Hebr: 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Rom: 13.

Instant Diffidentes. Papa vt pote homo potest errare. Nam ipse S. Petrus gravissime erravit in Fide dum Christum negavit. ℟. n. a. Pontifex enim ex Cathedra docens, specialem habet assistentiam Spiritus S. Petrus quidem defecit in Christiana fortitudine, non tamen erravit in fide negando Christum, hunc enim errorem non docuit ex Cathedra Nam tunc nondum erat Pontifex sed post resurrectionem Christi Ioan. 21. Licet ipsi tunc fuerit promissus Pontificatus Mat: 16. Si verò quandoq; Pontifices erraverint in moribus (non tamen in rebus Fidei) vt homines privati & fragiles potuerunt errare non verò

vt

vt Doctores ex Cathedra loquentes. Si quandò videantur errasse ex Cathedra loquentes, error est imperitorum aut malitia malevolorũ, qui aut non intelligunt Decreta Pontificũ aut perversè interpretantur.

Vrgent Dissidentes, Stephanus VII. sivè VI. irrita declaravit Acta Formosi tanquàm non legitimi Papæ, & ab eo Ordinatos jussit iterum Ordinari. Postea verò Ioannes IX. Contra Stephanum declaravit Formosum fuisse legitimum Papam. Deinde Sergius III. Contra Ioannem iterum declaravit Formosum non fuisse legitimum Papam. Ergo vel Ioannes Approbando, vel Stephanus & Sergius improbando acta Formosi tanquàm non veri Pontificis errarunt. Rp. Bellarminus; Formosum licet ante suum Pontificatum fuerit degradatus per Ioannem VIII. fuisse verum Episcopum Cardinalem & postea legitimum Pontificem & ideò ejus acta Collatosq; Sacros Ordines valuisse. Proinde errarunt Stephanus & Sergius non quidem errore Iuris sed Facti malo exemplo, non falsa doctrina; Cum non definierint Acta & Ordines Sacros collatos ab Episcopo degradato esse nullos (quod fuisset error Iuris & doctrinæ) sed tantam jusserint demò ordinari ex privatis Odijs contra Formosum (quod fuit error Facti & malum exemplum) indulgendo suis privatis passionibus.

CAPUT XIX.

De potestate summorum Pontificum supra Reges. Contra Dramma Thoruniense Dissidentium.

PRæfati Thoruniensis Drammatis scopus fuit, quod Rector illorum Scholæ publicè repræsentavit spectatoribus ipso soteriorum die id est Dominica Palmarum Anno 1719. impiam pietatem Caiphæ

 judi-

judicantis IESUM perstringere, desumpto Argumento ex Pontificatu ipsius, non autem ex Principatu, quem ille adstruit Sapientiori ex Iudicibus Senadrin; acsi diceret Caipham non potuisse in jus vocare IESUM cum non fuerit Princeps; & cum Contrariorum Contraria est disciplina, prætendit Pontifices Iudæorum Magni Iudicij Senadrin non fuisse simul Principes, Contra quem

Dico imò. Summum Pontificem veteris Legis eo ipso vel saltim ex Concomitanti, si cætera ex lege ipsi non defuerunt defacto Principem fuisse.

Probatur. Qua Act: 24. Paulus non ad alium tractus judicandus quem ille juxta legem Principem appellavit, & ibidem resciens Pontificem, Titulo Principis honoravit legem citando exod: 22. *Principi populi tui non maledices*, T.q. Supremum Iudicium alias Senadrin, includebat summum Sacerdotem vt Præsidem. Ita sigon de Rep: Hæbr: l. 6. c. 7. apud Corn. à Lap: in Deut. fol. 979. Hinc falsi Convincitur Author Drammatis qui pro se citavit sigonium cum totum ibi oppositum legatur. T.q. In Scriptura toties quoties Pontifices illi dicuntur Principes Sacerdotum vg. 2 Mach: 3. Matt: 2. & 16. Imo pluries in Evangelio, & Nominatim de Caipha Ioan: 18 dicitur: *Qui erat Pontifex anni illius.* Atq; sic eo ipso Princeps. T.q. Si penes Pontificem non fuisset principatus & jurisdictio ad reos judicandos, vt quid Pilatus dum miris modis niteretur liberare IESUM ab iniqua accusatione & à Decreto prolato simul cum Sacerdotibus. *Reus est mortis.* Iudicium eorum quod bene potuit & debuit, non annullavit! imo quod ex tantis studijs suis verè voluisse dignoscitur. Et quàmvis præfatus Author Drammatis citet pro se D. Thomam & Bellarminum, hoc non obest, quia falso citat prout & sigonium falso allegavit. D. enim Thomas

mas imposturam à se facile abigit, cum quæ ille pro more tunc Scholasticorum obiciendo posuit, Author Drammatis pro Conclusis recenset. Legat ille S. Doctorem D. 2, q. 105. Artic. ad 7. & inveniet verba Doctoris hæc, *Ut omnes recurrerent ad locum principalem in quo esset summus Sacerdos* Idem præfatus Author Drammatis in fronte Authorum Diffidentium posuit librum, cui Titulus: *Honor Angliæ.* Proh! dolor! En quis honor Angliæ; An quia inhonoravit sedem supermam & Patrem ejus Communem, dum in locum Petri Fæminam substituit tot Lustris! An quia tot spolijs Martyrum satis ipsa dives æraria sua adauxit, facinorosis fræna ad omne nefas laxando illos collegit vel admisit? An quia suppari crudelitate Neronibus in Catholicos desævijt? O infortunatam & infamem Angliam, quæ sic lætatur & exultat in rebus pessimis? Cui vt misereatur Clementissimus, promittit tam copiosè effusus Sangvis B. Martyrum. Vovet & precatur ille qui scenam refutavit.

Dico 2dò Summorum Pontificũ veteris Legis authoritatem fuisse majorem Regibus.

Probatur. Gen: 14. Abraham donis & decimus veneratus est Sacerdotem DEI Melchisedech. T. q. Paulus hanc Historiam applicans Sacerdotiò Melchisedech quantùm in veteri lege valuerit sic ait. Hæbr: 7. *Intuemini quantus sit hic, cui & Decimas dedit de præcipuis Abraham Patriarcha.* T. q. Pontifices illi vngebant Reges, quod est signum eminentioris Authoritatis; Deinde publicè etiam corrigebant errantes Reges. 1. Reg: 13. &c. Confirmatur facto ipsius Salvatoris, qui quàmvis fuerit Rex, tam in nascendo Matt: 2. *Ubi est qui natus est Rex Iudæorum.* Quàm moriendo, Titulo Regis in Inscriptione Crucis à Pilato honoratus fuit; Nihilominus propter hominem humilis factus, illis Pontificibus honorem dedit,

nedum facto, quia omnia legalia observavit sed & Verbo, quando leprosis multoties mandavit, vt ostenderent se Sacerdotibus Luc: 17. Quia verò quædam Regni Nostri circumstantiæ svadent sub odorari sub involucris illis scenicis Mysterium latere; nimirum, ne forte non tam impia pietas Caiphæ quàm potius pro æstro Diffidentium ingenij, aversus ab Ecclesia ejusq; Capite id est summo Pontifice animus; ita vt pia impietate in Caiphæ Pontificis quàm nemo Christianorum approbavit imò omnes condemnant, summa sedes Authoritasq; ejus Scopus Drammatis Dissidentium sit principalis, ideo sit breviter.

Dico 3tiò. Licet ampla sit authoritas veterũ Pontificũ, tamen longè Major data est Petro ejusq; successoribus etiàm supra Reges & Monarchas.

Probatur. Nam inobedientes veteribus Pontificibus puniebantur morte temporali; Modernis autem Pontificibus data est potestas tales mulctandi morte Spirituali, scil: per excommunicationem. Christus enim dixit Petro Matt: 16. *Quod cunque ligaveris super terram &c.* T. q. Veterum Pontificum Authoritas erat defectibilis, & defacto imminente Sacerdotio Christi sensim deficiebat, & propterea à Sancto Cypriano dicta, *inane nomen & umbra*, partim ob Crudelitatem Tyrannorum, qui pro regibus Authoritate Romanorum instituebantur & Colebantur, partim ob Connubia (quæ tùm Pontificibus vetita non erant ex lege) cum Filiabus David, ideo & tunc quando in proximo superventurus erat Messias permisceretur Ordo Sacerdotalis cum Regio (ut notat Baronius) Pontificum autem modernorum authoritas firmata est in æternum Verbis Christi, *Tu es Petrus &c.* Et testimonio Pauli dicentis. *Ecclesiam esse Columnam & firmamentum Veritatis.* T. q. Nicænum Concilium. 1. Can: 39. ait, *Qui tenet sedem Romæ,*

Ca-

Caput est, & Princeps omnium Patriarcharum quandoquidem ipse est primus sicut Petrus, cui data est potestas in Omnes Principes Christianos & omnes populos eorum, & qui sit Vicarius Christi super omnes populos & cunctam Ecclesiam T. q. Is: 49. dicitur de Ecclesia; *Erunt Reges nutritij tui & pulverem pedum tuorum lingent*; quæ reverentia patet & comprobatur ex eis quæ defacto præstitere pij Imperatores & Reges Pontificibus. T. q. In Annalibus Baronij Bellarmini & Bzovij clarè invenitur, quomodo Authoritate Pontificum Imperium Orientale translatum sit ad Carolum & iterum à Friderico ad alios Imperatores Electos.

Objectio 1mâ. Authoritas quæ usurpatur à summis Pontificibus potest benè residere in aliquo Principe aut pluribus vel in Magistratu Politico. ℟. Nullum esse defacto Principem qui toti imperet mundo. T q. Regimen Ecclesiæ est Spirituale & Supernaturale Ordinatum ad animas perducendas ad felicitatem Supernaturalem, tale autem regimen non potest Competere Principi sæculari. T. q Nulli erorum vel alicui Magistratui dictum est: *Pasce oves meas, Quodcunque solveris quodcunque ligaveris.* Nisi Petro.

Objectio 2dâ, *Christi Regnum non est de hoc mundo.* Ioan: 18. Neq; Orbem Universum expedit ab vno Principe regi, in politicis. Ergo neq; in Spiritualibus. ℟. ad 1. Non est de hoc mundo id est mundanum politicum & sæculare Con: non est Monarchicum nego. Ad 2. dico. Si aliquis Monarcha mundi, haberet tam fideles Principes, ut per eos totū mundum gubernare posset non videtur id impossibile, & defacto summus Pontifex habet tales fideles Missionarios etiam pro Orbe suppedaneo.

Objectio 3tia. Leo IV. Papa petijt à Ludovico Imperatore Iudices, quibus se obtemperaturum promi-

misit. Itt: Adrianus I. Carolo M. Leo VIII. Ottoni I. Concessit Ius eligendi Pontificem. Itt: Varij Imperatores deposuerunt Pontifices & alios substituerunt, præsertim Henricus IV. deposuit Benedictum X. & substituit Nicolaum II. Itt. Ipse Paulus Act. 25. Appellavit ad Cæsarem. Ergo Pontifices non habent potestatem supra Monarhas. ℞. ad 1. Leo IV. Se tantùm subjecit Iudició Imperatoris discretivo, quod exercetur sinè jurisdictione non coactivo. ℞. ad 2. Adrianus & Leo Imperatori solùm Concesserunt facultatem confirmandi electionem Pontificis per defensionis assistentiam, non per Iurisdictionis potestatem; quia tunc indigebat sedes Apostolica præsidio & Auxilio Imperatorum contra Longobardos & alios hostes. ℞. ad 3. Illi Imperatores qui attentarunt deponere Papas Omnes inique & impiissimè egerunt cum nequã Neronè Divo Petro cum vita claves extorquente. Excusantur tamen aliquo modo Otto 1. & Henricus III. Nam Otto Ioannem XII. Sceleratum & intrusum Pontificem pio quidem Zelo sed non secundum Scientiam deposuit. Henricus verò Gregorium VI. Non deposuit sed persvasit vt sponte cederet. ℞. ad 4. Paulus appellavit ad Cæsarem tanquàm ad Defensorem contra vexationes Iudæorum non tanquàm ad Iudicem Competentem, Appellavit ad Tribunal Cæsaris tanquàm ad Asyllum non tanquàm ad forum Iudiciale, vel appellavit de Facto non de Iure, quia alium Iudicem non agnoscebant ejus accusatores.

Objectio 4tâ. Gregorius M. Imperatorem vocat Serenissimum Dominum suum se verò indignum ejus servum, & Obedientiam ei se debere fatetur. ℞. S. Gregorius ex speciali submissione & humanitate id fecit, sicuti omnes Sacerdotes, *Fratres*. Omnes Clericos, *Filios*, & omnes Laicos vocabat. *Dominos suos*,

suos, quis autem dicat eum in his agnovisse aliquam Superioritatem & Iurisdictionem Erga se! Pariter dum preces & petitiones Imperatoris ex humilitate accipiebat, velut mandata, quibus obedire voluit, non Agnovit in Imperatore aliquam potestatem imperandi propriè dictam; Nam de facto sæpe profitemur nos obedituros illis, qui tamen imperare nobis non possunt. Gregorius enim erat *Pastor*, Imperator *Ovis*. Nec id Gregorius ignoravit, nec tacuit, nam l. 4. Ep. 31. Etsi servum Imperatoris se dicat, tamen addit Imperatorem debere reverentiam Sacerdotibus exhibere quod est inferioris non superioris. Habuit tamen Gregorius causam, tam humiliter scribendi & loquendi Imperatori, indigentiam scil Auxilij contra Longobardos acerrimos Ecclesiæ hostes. Deinde illis temporibus Imperatores nimiam sibi Authoritatem in Romanum Pontificem iniquè arrogabant & turbabant liberam illius electionem ac per vim intrudebant suos clientes quos recusabat Clerus Romanus, donec tandem Cardinalium Cœtus prævaluit circa An 1143. libere eligendo Cœlestinū II.

Et licet Reges Angliæ usurpant sibi supremam gubernationem Ecclesiæ Anglicanæ hoc nil obest quia id sinè fundamento imò Sacrilegè faciunt. Nam Christus qui fuit primarium Ecclesiæ Caput non dixit Herodi Regi sed Petro: *Pasce oves meas*. Similiter Paulus non Regibus sed Episcopis tribuit hoc Officium Act. 20. *Attendite vobis & Universo gregi in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam DEI.* Et Confirmatur ex praxi quæ tempore Apostolorum servata est. Quis tunc Ecclesiam gubernavit? Apostoli. Quis primam Synodum indixit? Apostoli Act: 15. Quis huic Synodo præsedit! Apostoli. Quis legem Ecclesiasticam de Abstinentia ab immolatis simulacrorum & Sangvine & suffocato Sancivit?

Apo-

Apostoli. Quis Corinthium in cestuosum excommunicavit? Apostolus Paulus. 1 Cor. 5. Quis accusationem adversus Presbyteros tanquam legitimus Iudex admisit? Timotheus Episcopus 1. Tim. 7. Nullæ hic partes Regum, nullum vestigium. Hæc homini prudenti sufficiant.

CAPUT XX.

De Potestate summi Pontificis supra Concilium.

NOta Concilium nil aliud esse, quam legitimam Convocationem Præsulum Ecclesiasticorum ad Majora fidei & Religionis tractanda negotia vg. ad tollenda Schismata, damnandas Hæreses, Sanciendum Bellum contra Hostes Ecclesiæ, ad reformandos mores fidelium legesq; ferendas &c. Concilium vel est Generale vel Particulare, Generale Concilium seu Universale seu Oecumenicum est quod celebratur Nomine totius Ecclesiæ, ad quod omnes ex toto Orbe vocantur Episcopi qui commode vocari & expectari possunt; Si autem aliqui venire non possint vel eum eis dispensetur vel culpabiliter non compareant, Concilium non redditur per hoc illegitimum, sicut nec Comitia Regni vel Imperij per quorundam absentiam: Non enim numerus Episcoporum facit Concilium Generale sed Ius Comparendi Omnibus factū. Solos autem Episcopos de jure esse vocandos tanquam Iudices qui Ius habent suffragij ferendi, Quia ferre suffragium de doctrina, quàm credere, & leges quas alij teneantur sequi, Officium proprium Pastorum est & requirens jurisdictionem Spiritualem & externam, vi cujus inobedientes possunt compelli soli autem Episcopi de Iure sunt tales Pastores. Cardinales autem non Episcopi Generales Ordinum & quidam Abbates

bates vocantur ex Consvetudine & Privilegio. Theologi vocantur tanquàm Consiliarij ad Consultandum & disputandum; Principes sæculares invitantur vel eorum Legati tanquàm Defensores & Executores, soli verò Episcopi, & qui Ius suffragij obtinuerunt hoc modo subscribunt. *Definiens subscripsi*. Cæteri autem vel non subscribunt, vel sic: *Consentiens subscripsi*. Quod patet ex Formula Concilij Apostolorum Act. 15. Ubi initio proponitur quæstio dequa Lis fuit orta & Controversia inter Apostolos & Fideles; An: scil. *ex Gentilismo conversos Oporteat Circumcidi & præcipere eis servare Legem Moysi, Conveneruntq; Apostoli & Seniores* (Presbyteri) *Videre de Verbo hoc*. En! Apostoli & Presbyteri non verò Lajci convenerunt ad decidendam hanc Quæstionem. *Cum autem magna conquisitio fieret*. En! Serio discutitur & examinatur causa, tam ab Apostolis quàm à Senioribus seu Presbyteris. *Surgens Petrus dixit ad eos*. En Petrus! tanquàm Præses Concilij sententiam dixit primus, Christianis nimirum, non esse imponendum jugum legis Mosaicæ. *Tacuit autem omnis multitudo, & Audiebat Barnabam & Paulum narrantes &c. Et postquam tacuerunt respondit Iacobus &c.* Conformans se Sententiæ Petri. En! Populus omnino tacuit, & soli Apostoli locuti sunt; Cum esset perventum ad Sententiam definitivam; licet Præsbyteros (non verò Populum) priùs admiserint ad consultandum, pro discussione & inquisitione veritatis. *Tunc placuit Apostolis & Senioribus cum omni Ecclesia eligere viros &c.* En! Sententiæ Apostolorum acquiescunt Seniores & tota Ecclesia, & juvant ad executionem illius, nempe ad promulgandum & intimandum alijs Decretum Concilij, cujus tenor erat talis. *Visum est Spiritui S. & Nobis, nil ultra imponere vobis oneris &c.* Vt autem Concilium Generale sit legitimum, requiritur, vt sit

vt sit convocatum à summo Pontifice vt dirigatur ab eo per se præsidente vel per suos legatos, Potest tamen vtrumq; suppleri per subsequentem approbationem Papæ sinè qua expressa vel saltim tacita Concilium Nullius est authoritatis.

Concilium particulare subdividitur, in Nationale, Provinciale, & Diœcesanum. Nationale est, in quo Archiepiscopi & Episcopi alicujus integræ Nationis vg. Germanicæ Polonicæ, sub vno Patriarcha vel Primate Congregantur. Provinciale est, in quo plures Episcopi cum suo Archiepiscopo conveniunt. Diœcesanum (seu synodus) in quo Conveniunt Parochi cum suo Episcopo. In veteri Lege apud Iudæos, etiam duplex Concilium seu Tribunal legitur fuisse Unum majus quod vocabatur, Senedrin vel Synedrion, seu Concilium Seniorum: Alterum minus; Inter quæ tale fuit discrimen; quia Majus erat tantùm Ierosolimis, minus in singulis Civitatibus. In majori præsidebat summus Pontifex quod constabat 70. viris Minus verò constabat 23. viris. Et dum aliquæ controversiæ oriebantur inter Iudeos, sivè ex lege Decalogi, sive ex mandatis moralibus, quæ sunt extra legem Decalogi, sive ex Præceptis cæremonialibus vel Iudicialibus; Quando Iudices inferiores non poterant illas dirimere, necesse fuit confugere Ierosolimam ad Superiores Iudices: & Pontificis, sententiæ sub pæna mortis acquiescere Deut: 17. Utrumq; Concilium habuit suam Originem sub Moyse: & majus quidem institutum est mandato DEI Num: 11. Minus verò ex Consilio Iethro Exodi 18. à Minori licuit ad majus appellare non è contra. Quidam autem Theologi Galli ausi sunt appellare à Bulla Clementina Vnigenitus, ad Pontificem meliùs informatum vel ad Concilium futurum præferentes Concilium esse supra Papam: Contra quos sit.

Dico

Dico imò. Summum Pontificem esse supra Concilium universale.

Probatur. T.q. Papa est supremus Monarcha Ecclesiæ & Caput ejusdem, supremus autem Monarcha Regni eminet super omnes Regni Duces non solùm divisos sed etiam in unum Congregatos in Comitijs. T.q. Non Concilio sed Petro Christus dixit. *Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam;* intelligitur quod debeat esse fundamentum totius Ecclesiæ & sicut à fundamento pendet tota Domus, sic à Petro ejusq; quovis successore dependet Vniversa Ecclesia quæ semper est Congregata formaliter cum sit vnum Regnum & vnum Ovile licet sit dispersa quo ad locum. T.q. Ecclesia non habet vllam authoritatem à se nec ab alio; Non à se quia licet in Regno terreno potestas sit in populo suppletivè, quia ipse instituit Reges, & cum homines sint ex se naturaliter liberi, & proinde in ipsis remaneat radicaliter talis potestas; Non tamen sic in Ecclesia, vbi potestas Papæ collata fuit à Christo non ab Ecclesia. Non etiam Ecclesia aut Concilium habet potestatem ab aliò, quia Christus illam dedit non Ecclesiæ sed suppositis Ecclesiæ, cum dedit claves Ecclesiæ Petro, & potestatem prædicandi baptizandi singulis Apostolis qui ea vti possunt sine Congregatione aliorum. T.q. A summo Pontifice Convocantur Concilia & ab illo approbantur, vel reprobantur de illorum decisionibus dispensat, nec Concilia possunt dispensare de censuris à Papa inflictis. T.q. Concilium vel est Pastor vel ovile: Non Pastor; soli enim Petro dictum est *Pasce oves meas* Ergo est ovile; Et cum agnosat ovile supra se Pastorem, Concilium debet agnoscere Papam supra se. Papa enim est supra omnes Prælatos tam dispersos quàm collectos, collectio enim in vnum non auget Ius Prælatorum, maximè cum potestas Eccle-

siasti-

siastica immediate sit à DEO, & mediante Papa, Ecclesiæ ac Prælatis communicetur Alias Papa esset Vicarius Concilij, quod est falsum, quoniam est Vicarius Christi, quem solum agnoscit supra se. Unde Can. 9. Nemo, Quæst: 3. *Nemo judicabit primam sedem, neque enim ab Augusto, neq; ab omni Clero nec à Regibus neq; à populo Iudex judicabitur*, per omnem autem Clerum, Glossa intelligit Concilium. Quod patet in Marcellino Papa qui terrore Diocletiani perterritus, Deorum simulacris thus adhibuit, cujus peccati tantopere pænituit illum, vt Sinuessam ad Concilium plurimorum Episcoporum venerit cilicio indutus, ubi lachrymis profusis, scelus suum palam confessus est; quem tamen damnare ausus est nemo, sed omnes una voce clamarunt; Tuo te ore non nostro judicio judica, nam prima sedes à nemine judicatur; Petrum quoq; propter eandem animi infirmitatem deliquisse, & à DEO similibus lachrymis veniam impetrasse.

Objectio 1mâ. Summus Pontifex est Filius Ecclesiæ Ergo non est supra illam. ℞. Papam esse Patrem & Filium Ecclesiæ diverso respectu, vt Baptizatus, est Filius Ecclesiæ Vt Papa est Pater. Deinde nil repugnat, si in moralibus & spiritualibus, Filius superet Patrem ratione authoritatis, sicut Salomon superavit Betsabee. Dices; Non esse verisimile, quod Christus suam sponsam Ecclesiam alteri subjecerit. ℞. imò congruum est vt ejus pudicitiam & castitatem conservet contra Hæreses Schismata & pravos mores, sicut amicus certus de sui amici probitate, sponsam conservandam tradit illi dum peregrè proficiscitur. Urgebis; Papam Schismaticum & hæreticum posse deponi à Concilio. ℞. Si per impossibile esset verè Hæreticus, eo ipso inhabilis esset essentialiter ad Dignitaté Papalé imo statim desineret esse Papa ipso facto, & tunc tantùm deberet declarari non esse Papa, quàm

depo-

deponi & ad Electionem veri Pontificis procedendum esset. Lupus enim non potest esse Pastor Ovium.

Objectio 2dâ. Causam Donatistarum quam damnaverat Melchiades Papa, iterum judicavit Episcopus Arelatensis in Concilio, teste Aug: ℟. Episcopus Arelatensis judicavit causam illam, non quidem, quia necessarium erat, sed quia sic affectavit Imperator, vt acquiesceret Donatistis hoc postulantibus & videderet, si post duplex Iudicium Sanarentur. Dices. Math. 18. Si peccaverit in te frater tuus dic Ecclesiæ ℟. Id est; Dic Pastori Ecclesiæ; si est Persona privata vg. quæ peccavit, dic Episcopo; si est Episcopus dic Arhiepiscopo, si est Archiepiscopus dic Papæ; si est Papa dic ipsimet Charitativè, si non se corrigat, judicium DEO reservandum est, summa enim sedes à nemine judicatur.

Objectio 3tiâ. In Concilio Constantiensi ses. 4. Definitur, Concilium esse supra Papam, nemine reclamante. ℟. Hoc fieri tempore Schismatis quo scil. quilibet Papa dubius est, prout fuit tempore hujus Concilij, vbi tres Papæ erant; Ioannes XVIII. Greg. XII. & Benedictus XIII. Non verò id intelligi debet de Conciliò quando Papa est indubitatus tanquam Caput illius. Dices Concilium Basileense Confirmavit idem quod Concilium supradictum. ℟. Hoc Concilium licet sit legitimè inchoatum, illegitimè tamen terminatum est, ob violentias factas Contra fautores Eugenij IV. Deinde hæc revocata sunt in Concilo Florentino & Lateranensi.

Quæres An sit major Authoritas Concilij quàm Scripturæ? ℟. Hæretici quidem Nobis imponunt; quod subiciamus Scripturam Concilio & Traditioni quod falsum est. Scriptura enim est Verbum immediate revelatum à DEO, in quantum Evangelistæ scribebant quæ sibi revelabantur, vel saltim impelleban-

tur à Spiritu Sancto ad scribenda ea quæ audierant & viderant, vnde non laborabant in suis libris edendis; Concilia verò non scribunt immediate à DEO revelata, sed tantùm declarant, quodnam sit Verbum DEI scriptum vel traditum, & Patres in Conciliis tenentur Conclusiones scrutari cogitando legendo & disputando prout Act: 15. legitur in Concilio I. Magnam Controversiam fuisse factam.

Dicò. Appellationem à Bulla *Vnigenitus* ad summum Pontificem melius informatũm tantò magis ad Concilium futurum redolere hæresim.

Probatur. Quia hæc appellatio Coincidit cum forma appellationis Lutheri, qui à Cardinali Caietano ad Papam appellavit, deinde à Papa malè informatò, ad Papam meliùs informatum, tum à Papa ad Concilium, à Concilio ad S. Scripturam ab hac deniq; ad Spiritum privatum, tandem perrexit ad tartara. T.q. Appellare à summo Pontifice vt determinante aliquid quod Concernit materiam fidei, ad Pontificem ut melius informatum; in re ipsa est supponere quod Pontifex sit deceptibilis in materia fidei extra Concilium, quod ostensum est supra esse falsum. T.q. Hæc appellatio est contra Pragmaticam Regum Galliæ, nam Reges Galliæ præsertim Philippus pulcher Ludovicus XIIi Henricus IV. ab intentatis destitêre, quinimo absolvi ab excommunicatione instanter à Papa petierunt: ac præsertim Ludovicus XIV. Rex vere Catholicus & victoriosus designando Nepotem suum in Regem, Zelozè satis egit pro Pontifice seriò monens, vt caveret à factione summo Pontifici contraria. Unde laudatissimus ille Rex longè ante obitum suum, dedit evidentia documenta suæ Religionis in sedem Apostolicam, dum An 168.. sub Innocentio XI. Propositiones quasdam Gallicanas damnationi detulit, quod etiam post annos aliquot sub Innocen-

nocentio XII. repetijt; Idem sperat & desiderat afflicta Ecclesia ab ipsius Serenissimo Nepote.

Dum autem Papa adhibet alios Episcopos ad consilia & examina alicujus Articuli qui controvertitur quomodo decidendus sit? Id defacto non facit ex necessitate, quasi sine his solius Papæ non valeret decisio, sed hoc facit ob majorem utilitatem fidelium, qui tantis examinibus rem transigi advertentes, firmius credunt decisis articulis & tantò facilius obstrepentium extra Ecclesiam obturantur ora

Quæres: Quid si contingeret solùm Papam resistere Concilio & decidere contrarium aliquid. ℟. Vel Divinam providentiam nunquam posse permittere ut adversetur omnibus in Concilio congregatis & contra omnes aliquid determinet; vel si hoc permitteret, deberet Pontificem ita dirigere ut saltim privatim consuleret multos viros Sapientes (implorato etiam Divini Spiritus afflatu, jam enim si hoc præstaret etiam privatim, non ageret temerè; vel si permitteret sine tali consultatione privata ab eo aliquid definiri contrà omnes; Tunc quærò! Vel Constaret Ecclesiæ eum temerè procedere, vel non constaret; si constaret quòd temere procederet & in fraudum Ecclesiæ, Tunc sententia Papæ non valeret cum ei DEUS sic agenti non assistat, consequenter illi Ecclesia in hoc non teneretur obedire tunc enim ageret tamquam privata persona non tanquam publica, si verò non constaret Papam temere agere, tunc teneretur DEUS in tali Circumstantia succurrere Ecclesiæ, ita ut semper salvetur infallibilitas Capitis appromissa eidem à Christo. Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam & portæ inferi non prævalebunt &c. Itt. Ecce ego vobiscum sum &c.

PARS III.

De varijs modis Universalibus contra Hæreticos de Numero Conciliorum & Pontificum de Numero Sectarum &c.

CAPUT I.

De varijs modis convincentibus Hæreticum.

PRimo ingressu Disputationis interrogandus Sectarius, per quam Regulam & normam fidei, velit meam fidem in aliquo articulo fidei infirmare, & erroneam declarare. Respondere certè debet, se velle meum (ut ille putat) errorem, refutare per verbum DEI sc: per Scripturam; hoc enim solùm est apud illos in valore principalissimo. Quærò, In qua editione Scripturæ contineatur verbum DEI? An in Anglicana, an Genevensi &c. an verò in nostra vulgata Romana? multis enim solent inter se differre istæ editiones. Respondebit ille in Anglicana aut alia non verò in Romana. *Urgeo.* Ostende ergò, ubi nam habeatur in Scriptura editionem Anglicanam esse purum & incorruptum Verbum DEI, non verò Romanam. *Si dicat* ita esse declaratum à Parlamento, aut statibus Hollandicis, ac alijs Congregationibus Acatholicis. Quæro ulteriùs. Ubi habetur in Scriptura, quod editio, quæ declaratur à Parlamento vel alijs sit Verbum DEI? Et sic cùm non ostendis tuum assertum in Scriptura, tuum assertum non est verum. Permitto tibi etiam editionem Anglicanam esse purum verbum DEI; tunc si ex suis Biblijs adducat Sectarius aliquem locum contra aliquem articulum fidei

Ro-

Romanæ, vg. contra realem præsentiam Christi in Eucharistia, *Urgeo sic*. Textum à te productum aliter intelligunt & explicant Doctores Catholici Romani, pro sua fide, quàm tu illum usurpas pro te, contra me. Ergo potiùs tuam mentem sequar, rejectâ antiquâ Romanâ fide, ostende in Scriptura, quod tuæ explicationi adhærendum sit. *Quod si dicat*, allatum à se locum, per alium locum Scripturæ, non per suam interpretationem explicare. Ad huc de illa superinducta Scriptura reddibit eadem difficultas, quæ fuit de prima. Multò magis de Spiritu privato, aut de aliqua Glossa non recepti ab universali Ecclesia Authoris, si ad illam recurreret Sectarius. Posteaquam Sectarius coactus fuerit fateri Scripturam S. nullibi asserere suam explicationem cujvis esse præferendam: restat jam ut dicat, sibi id constare ex ipsa S. Scriptura per claram saltim consequentiam suum sensum esse verum, aliorum verò esse falsum. Tunc *Quæro* ex Sectario. Nonnè sciat multas consequentias posse deducere ex S. Scriptura, quæ videntur ad speciem veræ, sed re ipsa falsæ sunt. vg. Pater major me est. Ex hac intulit Arrius, verbum esse minus Patre, ut potè à Patre natum. Quæro ergo à Sectario, ut ostendat ex S. Scriptura, quod omnis consequentia ex ipsa illata sit infallibilis & Divina. Hoc autem nullibi inveniet. Si dicat ille, Etiàm vos Catholici nonnulla habetis in fide, vg. me conceptum in Originali. Item hunc hominem esse verum Papam: quæ non habetis in Scriptura, sed tantùm per legitimam infertis consequentiam Imò ipse Salvator nonnullus articulos sic deduxit. ℞. Hanc deductionem per consequentiam non contradicere Catholico prout contradicit Sectario. Non enim habent Catholici pro Fidei suæ articulo, quod sola S. Scriptura sit Regula fidei cùm admittant Traditiones & definitiones Ecclesiæ, ad cujus

limam, & examen remittunt suas doctrinas per consequentias deductas ex Scriptura, an sint legitimæ & veræ. Sectarij autem principale Fundamentum debet esse sola S. Scriptura, cùm exclusione cujusq; alterius. Deindè eo ipso, quo Christus Sapienta æterna consequentiam aliquam ex S. Scriptura deducebat, infallibile erat rectè deduci. Prætereà quidquid ille affirmabat etiam extra Scripturas hoc ipsum erat fidei Divinæ, quod de se nequit dicere Sectarius: Undè rectè S. Aug l. 1. cont. Crescent. C. 33. ait. *Scripturarum à nobis tenetur Veritas, cùm id facimus, quod universæ placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat authoritas.* Et quoniam S. Scriptura fallere non potest; quis quis falli metuit, hujus obscuritate Quæstionis, Ecclesiam de illa consulat, quam sinè ulla ambiguitate S. Scriptura demonstrat.

Alij modi breviores.

PRimus modus quasi gradatim interrogando, & extorquendo assensum unum ex alio. Quæro ex Adversario, fateatur nè esse verũ Deum? certè præter Atheistam nullus negabit. Insto statim sic: Si verus est ille DEUS, quem jam admisisti, necessaria est aliqua Religio; quá verus iste colatur DEUS. Enti enim perfectissimo & primo, summus debetur cultus, latriæ, ex ipso dictamine rationis, quod nobis etiàm respectu Parentum, à quibus trahitur origo, quandam insinuat reverentiam; quantò magis respectu Creatoris. Ex hoc altius progredior & dico. Si vera est Religio aliqua, evidens est quod sit à DEO revelata; nam & si Lumen naturæ nos doceat, in genere, DEUM esse colendum, non tamen eo ipso ostendit, quibus modis sit colendus, & in quibus ei obtemperandum sit; undè debet accedere horum ab ipso DEO revelatio.

Vlte-

Ulterius ascendo & dio: Si jam est Religio aliqua vera & revelata, non alia erit, nisi Religio & fides Christianorum: quia hæc sola est miraculosè propagata, consequenter non sinè virtute Divina. Tum quia tàm difficilia captui proponens, eaq; sensualitati contraria continens, & tamen sinè armis & in summa persecutione Tyrannorum à rudibus & paucissimis prædicatoribus brevi tempore penè per totum Orbem annnuntiata, atq; à tot millibus hominum etiàm doctissimorum recepta. T.q. In illa est summa consonantia doctrinæ, ad lumen rectæ rationis. Tùm quia Prophetiæ, non modò sacræ, sed etiàm Ethnicorum nonnullorum hominum, ut Sybillarum Mercurij Trismegisti, longè factæ sunt de Mysterijs fidei Christianæ, Tùm quia tot milliones MM. pro fide hac, vitam animosè exposuerunt. T.q. Tot adsunt miracula in Religione Christiana patrata, quæ etiàm pro nunc videri possunt, quasi perpetua in plurimis locis, præsertim in domo Lauretana murata (post iteratas DEI opere translationes nullis fundamentis tot sæculis insistente, idq; sinè ruina. Neapoli, in sangvine S. Ianuarij, ad præsentiam capitis liquescente & bulliente; & alia centena. Hæc porrò motiva credibilitatis, nulla alia Religio pro se adducere potest; plerùmq; enim aliæ sectæ abhorrent ea, quæ sunt difficilia & inimica carni, & sensualitati, cui favent; & magis armis ac violentiâ, magicisq; frequenter superstitionibus sunt propagatæ ac in multis rectæ rationi contrariæ. Tandem si agnoscat Sectarius, & fateatur solam Religionem Romanam, esse veram Religionem revelatam à DEO Eo ipso necessariò sequitur solam Catholicam Romanam esse veram Religionem. Nam si veritas Religionis Christianæ rectè convincitur ex eo, quod illa supradictis modis propagata sit, ut evidens est sequitur illam solam esse veram Religionem. *Ultimò*, Si Sectarius

 rius

rius assentiatur, quod Religiò Catholica sit vera, sequitur, quòd quidquid illa docet esse articulum fidei, illud est verum & de fide. Aliàs sequeretur Religionem veram simul non esse veram, quia aliquid falsum doceret, quod implicat lumine naturæ. Cùm igitur ipsa doceat articulos fidei de Invocatione SS. de Sacramentis, & alia quæ negant Sectarij, nullũ proindè potest esse falsũ, adeoq; amplectẽdũ, quiquid illa docet.

Secundus modus. Etiamsi homini non esset evidens, quænam Religiò sit revelata à DEO, atq; vera adhuc prudenter agendo debeo eligere potiùs Romanam, quàm aliam. *Imò.* quia eligo illud, quod est cum nullo, vel saltim minori periculo salutis & damnationis. Hæretici enim communiùs dicunt, in Religione Romana viventes non damnari; Nos autem Catholici asserimus Hæreticos damnandos. Ergo majus est periculum assentiri ipsis, cùm nos simul & conjunctim cùm illis plures simus. *2do.* In Iudicio Christi, Catholicus interrogatus, cur Romanam, & non aliam secutus sit Religionem? securè respondere poterit: Quia hæc docet à terrenis avocare animum, transferre ad cælestia, carnem domare, bonis operibus insistere, peccandi licentiam præscindere. Quia in Religione Romana, plurimos Sapientiâ, Sanctitate miraculis, insignes vidi & alia motiva credibilitatis adjunget; Nullam ergo habui rationem discedendi à fide Romana. Tu verò Sectariè quam Causam dabis Iudici, quòd in tua Religione vixisti, & cur non recessisti ad Romanam. Respondebis fortè illud vulgare: Quia in hac natus sum & educatus. Sed nonne Pagani, Machometani, Iudæi, nati sunt in erroribus suis? Ergonè evadendum eis in die Iudicij? contra illud: *qui non credit jam judicatus est* Ioan. 13. *nisi quis renatus &c.* Ioan: 3. Dices. Ideò non acceptavi Romanam, vel eam deservi; quia putabam

eam

eam plenam Idololatriæ superstitionum, putabam in ea præsidere Anti-Christum putabam Catholicos niti meritis suis, non Christi. R. In negotio salutis oportebat non solùm putare, ob leves aliquas suspiciones, sed certissimè scire & explorare illa mala infuisse Romanæ Religioni, & quæ fuit probabilitatis ratio, eam fidem fuisse Idololatriæ obnoxiam, quàm videbas à tot Sapientibus & insignibus Sanctitate viris, tot annorum centurijs cultam, tot miraculis & Martyrijs confirmatam, quomodò fieri potuit, ut hanc Idololatriam ex SS. Doctoribus illuminatissimis nemo adverterit, præter Lutherum & Calvinum viros effæminatos. Et ex opposito, quomodò in animum tuum inducere potuisti tuam Lutheranam, Calvinianam vg. fidem, quæ Authorem scelerum DEUM statuit, quæ hominibus libertatem eripit, bona opera tollit, quæ damnatas ab Ecclesia in antiquis Hæresiarchis Sententias docet, & cujus Magistri nullâ authoritate austeritate & Sanctimonia commendati, nullis miraculis clari, sed homines voluptatibus dediti, cupidi, ambitiosi, maledici, Apostatæ & ut plurimum contradicentes sibimetipsis in doctrina. Ergo imprudenter & non securè agit quivis, arripiendo aliam fidem, præter eam, quam Religio Romana profitetur.

Dilemata Sectario proponenda.

Valde Usitatum est Hæreticis, quando cum Catholicis conversantur, varijs de fide Quæstionibus ex improviso eos lacessere, qui etiam insultantes, facilè refelli possunt per hæc Dilemata, sive concedant sive negent.

DIlemma I. Quæro: An tua Ecclesia Lutherana sit antiqua, an nova? si dicis esse antiquam. Quæro. Ubi fuit, aut quis antiquorum ejus unquam

quam meminit per Annos 1500. à Christo vsq; ad Lutherum? si dicat esse novam. Infero. Ergo non est Ecclesia Christi quæ antiqua est ante mille septingentos annos ab illo fundata.

Dil. II. Quæro. Vera Christi Ecclesia estne fallibilis, an infallibilis? si dicis, esse infallibilem. Quomodo Ergo falsa est Ecclesia Romana quæ ab initio fuit vera Ecclesia Christi. Si dicis, esse fallibilem. Quomodo Ergo tibi constat tuam Lutheranam non esse hodiè falsam si vera Ecclesia possit esse fallibilis, & deficere à fide?

Dil. III. Quæro. vel homines possunt salvari in Ecclesia Romana vel non possunt? si non possunt; Ergo totus mundus damnatus est à primis Ecclesiæ temporibus per 1500. Annos vsq; ad Lutherum quo tempore nulla alia nota fuit hominibus Ecclesia n si Romana. Si possunt in Romana salvari; cur Lutherus & Alij Sectarij eam deserverunt? Item, Religio in Anglia ante Lutherum fuit vera, vel nunquam fuit vera? Fuit vera, nam Anglia suscepit Christi Fidem, ab Ecclesia Romana sæculo sexto per Augustinum Anglorum Apostolum; sed juxta Adversarios Christi Fides priùs defecit in Ecclesia Romana sæculo quinto, Ergo Anglia fidem Christi nunquam habuit veram. Si vera est Sectariorum doctrina, En quanto decore Sectarij suam Patriam improvido errore afficiant.

Dil. IV. Quæro An Ecclesia Lutherana fuit visibilis ante Lutherum vel invisibilis? si visibilis. Dic quæso quis eam vidit, quis de illa scripsit aut mentionem fecit? Si dicas esse invisibilem; Idem eodem jure de sua Ecclesia dicent Turcæ, Anabaptistæ &c. An ideo illis credemus?

Dil. V. Quæro. Lutherana Ecclesia si fuit in mundo ante Lutherum: vel fuit Sancta vel non? Si fuit Sancta. Assigna aliquem Sanctum ex Lutheranis, ejusq;

ejusq; vitam aut miracula in aliqua Historia Sacra aut profana recense. Si non fuit Sancta Ergo non fuit Christi Ecclesia quæ Sancta esse debet, & semper ab initio tot habuit Sanctos Apostolos Martyres, Confessores Virgines &c.

Dil. VI. Scriptura S. non est nata cum Luthero sed eam accepit ab Ecclesia Romana quando ab ea defecit. Quæro igitur. Ecclesia Romana à qua Lutherus accepit Scripturam S. vel fuit tunc temporis vera vel falsa Eccelesia? Si dicas esse veram; damnandus est Lutherus & omnes ejus asseclæ, qui Ecclesiam veram deserverunt. Si dicas fuisse falsam. Quomodo Ergo constat Lutherum & Lutheranos non habere falsam scripturam, cum illam acceperint à falsa Ecclesia, qui multò faciliùs potuit occulte scripturam, quàm publice veram fidē paulatim corrumpere: Quomodo Ergo Lutherus potest gloriari se puro Verbo DEI credere & adhærere.

Dil. VII. Religiò Lutherana qua talis consistit in articulis pure negatiuis vg Non est Purgatorium, non est Papa, non est Missa &c. Quæro igitur An articuli illi contineantur in scriptura an non? si affirmas, ostende mihi locum Ubi scriptura dicat; Non datur Purgatorium &c. Si negas posse in scriptura assignari, Ergo Lutheranismus qua talis constat ex Articulis in Scriptura non contentis, Ergo non nititur Verbo DEI. Dices. Illos non esse Lutheranismi Atticulos essentiales sed tantum accidentales. Quæro; an illi articuli, quos vocas accidentales contineantur in Scriptura? An non? Si Contineantur: non minus essentialiter sunt Articuli à DEO revelati quam qui vis aliùs contentus in Scriptura: Omnia enim quæ Divina veritas in Scriptura proponit æquæ sun Verbum DEI, & æqualiter participant infinitam DEI revelantis Authoritatem, ac proinde necessario æqualiter

liter credenda. Si autem dicas in scriptura non reperiri; Ergo jam cogeris admittere Articulos fidei tuæ esse extra fidem, hoc est extra Scripturam, in qua sola profiteris tuam fidem Confiteri, Ergo fuit tota fabrica Lutheranismi in suis Dogmatibus.

Dil. VIII. Asseris Ecclesiam Romanam defecisse à vera Fide circa Annum 500. Quæro. An defecerit illa tota simul vel per partes successivè. Non tota simul: Quia hoc tantundem esset, ac si omnes, qui toto Orbe sunt in Ecceesia Romana hodie decumberent Romani & Cras surgerent Lutherani. O Figmentum! Dic quæso quæ Historia rem tam prodigiosam commmemorat? Neque successive; hoc est quasi vna pars ceperit negare aliquem articulum Fidei quem Ecclesia eatenùs affirmavit: Nam omnes qui id fecerunt, à reliquo Corpore Ecclesiæ tanquam Hæretici separati fuerunt Ergo non potuit ipsum Corpus Ecclesiæ Romanæ à vera fide suceessivè deficere. Exemplum sit in Berengario quando Circa Annum Millesimum cepit negare in Ecclesia realem Christi præsentiam, statim reliqua Ecclesia se illi opposuit, illumq; Uti Hæreticum damnavit.

Dil. IX. Quæro. Donum miraculorum vel est certum signum veræ Ecclesiæ vel non? Si negas, jam accusas Christum fraudis & imposturæ qui Miracula pro signo Certo & indubitato veræ Ecclesiæ proposuit Matt. 11. Cæci vident, claudi ambulant. Mar. 16. Signa autem eos; qui crediderint hæc sequentur; In Nomine, meo demonia eicient &c. Et per hæc signa Iudæos & Gentiles ad fidem adduxit, si autem admittas, donum miraculorum esse certum signum veræ Ecclesiæ, Iam Clarum est Ecclesiam Rom. esse veram in qua sola, vera sunt miracula.

Dil. X. Quæro ex moderno Sectario; An cognoscat antiquos Hæresiarchas, vg. Arium esse Hære-

ticum

ticum & rite condemnatum. An verò id neget? Si- negat Arium vere esse Hæreticum, jam Condemnat primevam Ecclesiam, quæ Arium vt Hæreticum proscripsit. Si verò Agnoscat Arium vere esse Hæreticum? Idem de Luthero & alijs Sectarijs admittere debet, qui eodem modo ab Universali Ecclesia Romana damnatus & separatus fuit. Nam sicut hoc tempore dicit Lutherus Ecclesiam Rom. errare, ita in primis sæculis, idem asseruit Arius; sicut Lutherus citat pro se Scripturas, ita multomagis urgentes pro suo errore citavit Arius, vt probaret Filium in Divinis esse Patre minore Io. 14. Pater major me est. Et vbi Scripturæ dicunt Patrem & Filium vnum esse; Arius explicat de Metaphorica & morali vnitate voluntatis. Deniq; quidquid pro se prætendit Lutherus, idem jure pro se dicet vt olim dixit Arius; Ergo necesse est Domine Lutherane vt vel Arium Hæreticum esse neges, vel te Hæreticum dicas.

Argumenta Contra Sectarios.

Quamvis jam sparsim aliquid de his dictum sit, utilius tamen censeo recensere insimul aliqua convincentia argumenta in promptu habenda Contra Dissidentes.

ARgumentũ 1mum. Omnis illa Religio falsa est, quæ continet Hæreses, olim ab Ecclesia primitiva Catholica damnatas, sed modernæ sectæ continent Hæreses damnatas olim à prim. Eccl. Er. minor. Prob. 1mò. Quia tam Lutherus quam Calvinus docet bona opera non esse ad salutem necessaria sed solam fidem sufficere, atqui hæc Hæresis eadem

fuit

fuit simonis Magi & Eunomianorum olim ab Ecclesiâ damnatorum Circa An. 360. 2dò. Lutheri & Calvini doctrina est traditiones esse reiciendas & solam Scrrpturam recipiendam; Eadem Hæresis damnata est in Ario, Nestorio Eutiche & Dioscoro. 3tiò Tam Luther: quam Calvin. negat Sacramentum Pænitentiæ & Confirmationis, sed hoc damnatum est in Novatianis. Er. 4to. Docet Lutherus cum Calv: Ecclesiam olim Visibilem perijsse, & illam in suo tantum Cætu existere. Hæc quoq; fuit Hæresis Donatistarũ. 5tò. Asserit vterq; venerationem Reliquiarum Imaginum Christi & Sanctorum esse Idololatriam. Idem asseruit Vigilantius Hæreticus & olim Iconomachi ab Ecclesia damnati. 6tò. Negat vterq; orandum esse pro Defunctis, observandum Iejunium Quadragesimale vel aliud ab Ecclesia præscriptum. Idem olim negarunt Aetiani Hæretici. Quid igitur manifestius, quàm Hæreses olim ab Ecclesia damnatas, à Luthero & Calvino doceri, ac resuscitari, & quidem plerasq; ante tempora S. Augustini: Cum tamen ipsi fateantur veram & primævam Christi Ecclesiam, quæ eas Hæreses damnávit ab omni erroris suspicione immunem fuisse; Ex his autem ceterisq; articulis olim damnatis nullum recipit Ecclesia Romana, imò quemvis admittere volentem à suo Corpore resecuit: Depositum autem Fidei à Christo & Apostolis sibi traditum, tam inviolatum semper retinuit vt maluerit tam ab antiquis quam modernis Sectarijs, gravissima bella, rapinas exilia & mortem ipsam sustinere quam vel vnicum Articulum à prima Ecclesia damnatum admittere. Nam prout vel in uno puncto cum hoste conspirans fit rebellis Regi, sic cum damnatis Hæreticis vnico errori consentiens DEO fit inimicus.

Arg. 2dũ. Nulla est Ecclesia in mundo si nõn Romana. Probatur hoc. Certum est veram Chri-

Christi Ecclesiam in mundo reperiri sed hoc verum non esset si Lutherana & Calvin. esset vera Er. minor prob. Secta Lutherana docet Ecclesiam à Christo institutam potuisse deficere Et multemagis Lutherana est defectibilis. Hic manifeste patet sectam Lutheranam falsam esse & se evertere, quandoquidem Ecclesiam Romanam admittunt quinq; sæculis non potuisse errare & à vera fide deficere & postea defecisse.

Arg 3tium. Omnium Gentium consensus est pro Fide Romana. Probatur hoc. Illa judicanda est vera Christi Ecclesia, quæ per totum Orbem recepta & omnium gentium testimonio comprobata est, potiùs quàm illa quæ exiguo spatio Circumscripta, & à paucis frivolis admissa est, atqui omnium gentium testimonium stat pro vna & sola Romana. dicitur enim Catholica id est Vniversalis, defacto enim nulla natio est nobis cognita, in qua aliquando non fuerit propagata vel propagari non inceperit Er. Si igitur multitudinem testium Conferam cum exiguo manipulo Lutheranorum quorum sectas etiam Barbaræ abhorrent Gentes, non possum salva æquitate pro altera quàm pro Religione Romana ferre sententiam, quilibet enim justus Iudex, non dubitat adjudicari causam illi parti, quæ præ alia habet testes multo plures inter se semper cohærentes, non verò illi parti, quæ habet paucos testes, & inter se dissentientes, qui in visceribus Romanæ Ecclesiæ emerserunt & tanquam viperræ mordaces illam tot morsibus laniarunt ideoq; ab illa resectæ. Hinc Martini Lutheri tale est anagramma. Ter matris vulnus.

Et ferro & Calamo & lingua fera Vipera Luther
Ecclesia Matris ter graVe Vulnus erat.

Arg 4tum. Sequeretur omnes Martyres in Ecclesia Christi perire. Probatur hoc, Si Ecclesia

Roma-

Romana posset à vera Fide aberrare, sequeretur illam esse impiam & sacrilegam, consequenter per tot sæcula ante Lutherum perijsse omnes Nostros Majores, qui solam Romanam Ecclesiam noverant: perijsse tot Sanctos Patriarchas, qui tot cælestibus prodigijs miraculorum & Sanctitatis Orbi illuxerunt: Perijsse tot milliones Martyrum qui pro tuenda sola Romana Ecclesia Sangvinem fuderunt. Sequeretur & Christum mentitum fuisse dicentem. *Ecce Ego Vobisium sum usq; ad Consummationem sæculi &c. Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam;* Frustra igitur tot sæculis à Romana Ecclesia prædicatum fuit per totum Mundū Evangelium Christi; Frustra tot Gentes à Paganismo fuêre Conversæ, frustra Sacramenta administrata & alia media salutis à Christo instituta; Frustra fuit ipsa Christi passio mors &c pro nostro exemplo, cum Lutherus deserto Sacerdotio & cælibatu omnem carnis libidinem persvasit, & ita Ecclesiam restauravit, & viam cæli quam Christus dixit esse Angustam, verbo & exemplo latam & spatiosam fecit. Dices: Etiam in Religione Romana majores nostros salutem adipici. Contra. Necessarium erit te hoc modo vlterius ratiocinari. Omnes omnino tam Catholici quam Sectarij fatentur in Ecclesia Romana posse salutem obtineri; omnes autem Catholici, qui sunt maxima pars Christianorum, omni tempore & vno ore affirmant me in Secta Lutherana non posse salvari Ergo si volo esse certus & securus de salute mea, debeo eligere Ecclesiam Romanam in qua omnes fatentur me posse salvari. Hoc argumento Henricus IV. Galliarum Rex, postquam apud suos Ministros rem Fidei diligenter examinasset redijt, ad Ecclesiam Romanam.

Arg. 5tùm. Ex Miraculis in Ecclesia Romana Christus enim contulit suæ Ecclesiæ potestatem prædicandi Fidem & operandi miracula Mar. 16. Eun-

Euntes in mundum vniver.' prædicate &c. Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur; In Nomine meo dæmonia eicient. Hoc privilegium sine ulla limitatione veræ Ecclesiæ concessum, vti assidua tot miraculorum experientia patet. Dices Dæmoni hæc miracula adscribenda, prout & alij rumores. ℞. 1. Miracula Ecclesiæ Romanæ sunt consignata publica & indubitata Authoritate: ℞. 2. Solus popularis auræ fumus Sectas Lutheranicas posteris transmittit sine ullo publico fundamento: Deinde si ad fallendos homines dæmon operaretur miracula; Quæro. Vel id faceret potestate Divina vel propria virtute? Non Divina, Quia si Religio Romana esset falsa, non posset illam DEUS miraculorum testimonio tanquam sigillo comprobare, hoc enim esset DEUM falsæ doctrinæ subscribere, & taliter homines in fraudem inducere. Non etiam potestate propria; Quia sic dæmon multo magis operaretur miracula pro Secta Turcarum & Iudæorum, vt in eam magno suo lucro homines induceret. Quantum autem pondus habeant miracula ad commonstrandam veram Ecclesiam ipsi adversarij comprobarunt. Etenim per multas fraudes & artes insudarunt Lutherus & Calvinus ad patrandum aliquod miraculum ad comprobandam illo suam sectam. Lutherus enim fæminam à dæmone possessam volens liberare, vix non est occisus à dæmone. Cochleus etiam in vita Lutheri testatur de illo quod submersum quendam voluit resuscitare, sed illico risum populi spectantis velut prodigium suæ temeritatis concitavit. Itt. Lutheri asseclæ (teste Cochil 1533.) Qui vt se veridicos Prophetas populo probarent, diem externi Iudicij præ foribus esse dixerunt, quibus credentes Agricolæ, Arare & Serere desierunt, sed inani expectatione edocti, falsos vates illuserunt. Itt. Calvinus (teste Bolseco c. 13. in vita Calvini) rem sic aggressus

est. Vir inops Bruleus cum vxore Ostuno Genevam demigrat, à Calvino suæ inopiæ subsidium postulat, annuit perbenigne, si illi vicissim pro faciendo miraculo deserviret per mortem simulatam. Hinc Ministri in Concione mortuum Commendant populi precibus, vxor etiam Brulej; cum lacrymis Calvinum rogat, vt illi resuscitet virum; Calvinus in genua provolutus fusis ad DEUM precibus, vt in testimonium suæ doctrinæ defunctus ad vitam redeat; atq; apprehensa manu, alta voce imperat vt se erigat. Et ecce Novi miraculi genus? qui se mortuum simulavit, jam verè mortuus reperitur: Quo viso vxor attonita, in quærelas effusa infaustas Calvini technas omnibus per ordinem revelavit. Interea mulier sine viro infelix remansit, sed infelicior Calvinus sine miraculo fugere cogitur.

Proponuntur Fidei Controversiæ.

In quibus abominabiles Sectarum fatuitates & deliria variorum Hæresiarcharum breviter remonstrantur.

PRima Controversia fuit cùm Politheistis & Idololatris. Qui & plures admisêre DEOS, & Creaturis affinxêre Divinitatem, earumq; imagines & idola cultu Latriæ adoraverunt, vt Indi arbores maximas, Persæ Solem, Ægyptij Crocodilos. Alij Homines prudentiâ vel militari arte conspicuos colvêre, vt Assyrij, Græci, Romaniq; Alij demùm dæmones ipsos in statuis, aut ex adytis oracula reddentes venerabantur, vt populi innumeri. ✱ 2dâ. Fuit cùm Atheis omnem Divinitatem negantibus, dicentibusq; mundum hunc vniversum ex atomis ab æterno & ex se existentibus, ac tandem casu in hunc rerum ordinem ne-

nexumq; conglobatis extitisse. ✱ 3tiâ. Fuit cùm Deistis seu Philosophis, qui omnem doctrinam à DEO revelatam rejecêre, idq; solùm professi sunt, quod lumen rationis dictat, nempè unum DEUM existere, & inculpatè, vivendum. Horum Secta dicta est Philosophismus. ✱ 4tâ Contr: fuit cùm sadducæis & Samaritis, quorum primi negabant resurrectionem mortuorum, ut est Matt. 22. *In illo die, accesserunt ad eum Sadducai, qui dicunt, non esse resurrectionem.* Samaritæ autem oriundi ex Ethnicis, quos Salmanasar abducens captivum DEI populum ex Palæstina, in hanc regionem transmiserat, sic Iudaicam religionem susceperant, vt superstitiosa multa & gentilia retinerent; habiti proinde tanquàm hæretici à Iudæis, undè illud convitium in Christum: *Nonnè benè dicimus, quia Samaritanus es?* Ioan: 5. ✱ 5tâ. Contr: fuit post Christi adventum cùm Hæbræis negantibus, jam advenisse Messiam, credentibusq; venturum tanquam Regem temporalem, qui alios Reges perdat, & Regnum Hæbræorum temporale restituat, augeatq; ✱ 6tâ. Contr: fuit cùm Pharisæis ad fidem Christianam conversis, sed retinendam esse cùm nova Christi legè, veteris observantiam contendentibus. Act. 15. ✱ 7mâ. Itr. fuit cùm Simonianis, seu Simoniacis, qui simone Mago Magistro dicebant, mundum non à DEO, sed ab Angelis fuisse conditum; non forè resurrectionem mortuorum; licitum esse promiscuum usum fæminarum, dona gratiæ esse venalia. Ex hoc Simone innumeri orti sunt errorum Magistri, Cerinthus, Ebion, Menander & alij, qui circa an: 70. præter alios turpissimos errores docuerunt Christum fuisse purum hominem, ac proindè negarunt, eum cùm Verbo Divino vnâ eandemq; Personâ esse; de quibus Io: Ep. 1. cap. 4. *Et omnis Spiritus qui solvit Iesum, ex DEO non est, & hic est Antichristus.* ✱ 8vâ. Contr. fuit cùm Nicolai-

cis, qui dicebant licere fornicationem, vel vesci Idolotytis. Incertum est, an eorum Auctor fuerit Nicolaus unus ex 7. Diaconis, de quibus fit mentiò Act 6. * 9nâ. Contr: fuit cùm Saturnianis & Basilidianis quorum primi Auctore Saturnino Menandri discipulo circa annum 118. docuerunt, Christum apparenter, & in specie tantùm apparuisse. Basilidiani verò authore Basilide, & ipso Menandri discipulo circa annum 124. non solum carnis resurrectionem negarunt, sed Virginitati nuptias æquipararunt, in multis circa Incarnationem, Trinitatem, & mundi creationem delirabant & persecutionis tempore Christum circa culpam negari posse dicebant.

*10mâ. Contr. fuit cùm Millenarijs sive Chiliastis, qui auctore quidem Cerintho, sed alijs posteà Sectæ propagatoribus circa ann: 130. docuerunt post resurrectionem Christum per mille annos regnaturum in terris cùm Sanctis in delicijs & voluptatibus corporis. * 11mâ. Contr. fuit anno circiter 150. cùm Cerdonianis, Secundianis, Marcionitis, valentinianis & Gnosticis demùm omnibus, qui præter turpissima quæ tanquàm licita permittebant videntur in eo convenisse, quod duo essent rerum principia, unum bonum, alterum malum, & quod Christus non verè habuerit carnem humanam, sed vel solùm apparentem, vel carnem quandã cælestem & impassibilẽ. * 12mâ. Contr: fuit cùm Quartodecimanis dicentibus Pascha celebrandum esse 14. Lunâ, quocunq; hæc occurrisset hebdomadæ die. Hi erant Episcopi Orientales. Contentio autem ortum habuit sub Aniceto aucta est sub Eleutherio, viguitq; usq; ad Victorem, qui circa annum 198. instituit, ut Pascha celebraretur non decimaquartâ Lunâ more Iudæorum, sed die Dominico decimamquartam Lunam, & æquinoctium vernale immediatè sequente, prout ab Apostolis traditum erat, & observabat

Eccle-

Ecclesia Romana. Nec acquiescentibus adhuc multis Orientalibus Episcopis, fuit hoc ipsum in Nicæno I. Sancitum, & in alijs postea Concilijs confirmatum. * 13tiâ. Controv: fuit circa an: 173 cùm Tatiano ejusq; discipulis, qui docebant 1. Matrimoniū malū esse, hinc Encratitæ appellati, id est continentes. 2. Carnes quoq; malas esse, & à malo principio, id est à dæmone creatas; similiter vinum, ac proindè ab utroq; abstinendum, quod ipsum docuit eodem tempore Severus, undè Severiani Adamitæ quoq; circa ann: 194. auctore quodam Adamo nudi incedentes, nuptias exhorruêre, sed interim promiscuos concubitus permittebant. Horum Sectam sæculo 15. quidam Picardus renovare tentabat. * 14tâ. Contr: fuit cùm Montanistis ex Montano Phrigio, (unde dicti Phrygij, Phryges, & Cataphryges id est juxta Phryges) qui circa ann: 181. cæpit docere; sibi, non Apostolis in fusam esse cùm Spiritu Sancto gratiarum plenitudinem, 2das nuptias malas esse. Matrimonium posse dissolvi, lapsos post Baptismum salutem consequi non posse etiam per Ministros Ecclesiæ &c. nova jejuniâ prædicabat tanquàm necessaria &c. * 15tâ. Contr. fuit cùm rebaptizantibus, nempè docentibus Baptismum collatum ab Hæreticis non valere, ac proindè ab his baptizatos, esse rebaptizandos. Horum auctor fuit circa ann: 250. Agryppinus Carthag. Episcopus, cui & Cyprianus successor adhæsit, antequàm tamen hic error in hæresim abiret. * 6tâ. Contr fuit per eadem tempora, aut etiam anteà cùm aliquibus Episcopis rigidioribus, de quibus agit S. Cypr. Ep. 54. ad Cornel. Papam, & Ep. 52. ad Antonianum, qui aliquibus in majora quædam crimina prolapsis, & præsertim Apostatis, mæchis, & homicidis, veniam etiam in morte negandam contendebant. * 17mâ Contr. fuit cùm Novatianis, qui circa ann; 255. prædictum

rigorem in omnia crimina extenderunt, addideruntq; non esse in Ecclesia potestatem remittendi peccata post Baptismum commissa, neq; deberi baptizatos Sacro Chrismate confirmari, 2das nuptias vitandas, ut illicitas. Hujus hæresis Auctor fuit Novatianus, Presbyter & Pseudo Pontifex Romanus, inpulsu Novati Presbyteri Carthaginensis. ✱ 18vâ. Contr. fuit cùm Sabellianis, qui auctore Sabellio circa annum 260. docuerunt Patrem, Filium, & Spiritum S. unam esse Personã cùm tribus hisce nominibus. ✱ 19nâ. Contr. fuit circa ann. 273. cùm Manichæis, qui hæresim Cerdonianorum, Marcionitarum, Carpocratianorũ, Gnosticorum, aliorumq; prædictorum expressiùs docuerunt circa duo principia rerum coæterna, unum bonum, alterum malum, addiderunq; nihil esse verè Spirituale, sed omnia esse corporalia, hominem non esse liberi arbitrij, & omnium peccatorum causam esse naturam mali principij, vetus Testamentum fuisse à malo principiò, ideoq; reijciendum: ab eodem esse carnem & vinum; ac proindè ab utroq; abstinendum, animas migrare de corpore in corpus &c. Hujus Auctor Sectæ fuit Manes, sivè Manichæus, qui se esse Spiritũ S. Paraclitũ à Christo promissum dicebat.

✱ 20mâ. Contr: fuit cùm Donatistis circa an. 310. qui Magistro Donato in Numidia Episcopo decuerunt in Ecclesia esse solos bonos, imò eos solos, qui essent à parte Donati, & rursus, Sacramenta à malis Ministris collata esse nulla. ✱ 21ma. Contr. fuit circa an: 320. cùm Arrianis, quorum Auctor Arrius Presbyter Alexandrinus dicebat, verbum, DEI Filium, esse Creaturam, non esse coæternum nec consubstantialem Patri, & in Christo loco animæ fuisse ipsum DEI Verbum. Ex his orti sunt circa an: 359. Semiarriani, qui ajebant cùm Arrianis, Filium non esse Patri consubstantialem, non tamen per omnia dissi-

mi-

milem. Arrianiſmum renovarunt Sæculo 16to. Ioannes Campanus, Michäel Servetus Hiſpanus, Valentinus Gentilis Neapolitanus, Paulus Alciatus Mediolanenſis, & præſertim duo nequam Lælius & Fauſtus nepos, Senenſes, qui hunc errorem per Poloniam præſertim & Transſylvaniam diſſeminarunt. * 22dâ. Contr. fuit circa ann: 340. cùm Ario, Arianiſq; qui erroribus Arry duos alios addidêre, ſcil: inutile eſſe orare, & Sacrificium pro defunctis offerre, & Epiſcopis æquales eſſe Præsbyteros. Aliqui hunc Arium vocant Ærium. * 23tiâ. Contr. fuit circa idem tempus cùm Photino Sirmienſi Epiſcopo, qui renovans errorem Cerinthi & Ebionis docuit Chriſtum non eſſe DEUM, ſed purum hominem, addiditq; cùm Sabellio, DEUM non eſſe Trinum. * 24tâ. Contr. fuit cùm Macedonio Epiſcopo Conſtantinopolitano, qui anno circiter 359. docuit, Filium quidem eſſe Patri per omnia ſimilem, ſed Spiritum Sanctum eſſe Creaturam. * 25ta. Contr. fuit circa an: 367. cùm Apollinario, Epiſcopo Laodicæno qui hæreſim Arrij & Macedonij ſimul conjungens docuit, Verbum Dei accepiſſe carnem humanam ſinè anima rationali, vel ſinè mente ut eſſet ipſum loco mentis, & Divinas Perſonas eſſe inæquales, magnum ſcil: Spiritum S. majorem Filium, maximū Patrem. * 26tâ. Contr. fuit cùm Vigilantio, natione Gallo, & Barcinonenſi Presbytero, qui anno circiter 400. docuit Sanctos non eſſe invocandos, nec honorandas, eorum reliquias, quod antè docuerant Eunomiani, Euſtachiani, & Porphyriani, & poſteà docuerunt Waldenſes, Wicleffitæ, Huſitæ, Lutherani, Calviniſtæ, noſtriq; temporis hæretici ferè omnes. * 27mâ. Contr. fuit circa ann: 405. cùm Pelagio, Monacho Britanno, docente peccatum originale non eſſe in hominibus, & ſinè gratia DEI poſſe impleri omnia mandata. Hujus

erroris propugnatores acerrimi fuére, Cæleſtinus itidem Monachus, & Iulianus Capuæ Epiſcopus; impugnator verò Maximus S. Auguſtinus, ex cujus libris malè intellectis prodiére aliqui errores, & primò Adrumetinorum quorundam Monachorum in Africa, qui ita gratiæ DEI neceſſitatem prædicare cæperunt, ut dicerent hominem liberum non eſſe, nec corrigendum in malefactis; ſed hi brevì ipſius D. Auguſtini operâ errorem ſuum depoſuêre. adò Semipelagianorum, (ſeu Maſſilienſium Presbyterorum) qui lecto lib. D. Aug de correct: & grat. ad Adrumetinòs ſcripto, mediam quandam viam ineundam putarunt, docentes cùm Pelagianis, initium ſalutis noſtræ, à ſolis naturæ viribus pendere cùm Catholicis verò reliquum ſalutis, non à ſola natura, ſed à gratia pendere. Hos ſecuti videntur Caſſianus Monachus, cæteroqui vitæ probatiſſimæ, Fauſtus Lirinenſis Cænobij Monachus, inde Abbas, & poſt Regienſis Epiſcopus, Vincentius Lirinenſis, Gennadius Presbyter Maſſilienſis; & Tertiò Prædeſtinatorum, qui circa eadem tempora malè intelligentes libros S. Auguſtini de grat: & præd: cæperunt docere bona opera, nil prodeſſe reprobis, nec mala nocere prædeſtinatis; ac proindè neutros ſolicitos eſſe debere, vel ut benè agant, vel nè malè faciant, quam hæreſim ſæculo nono novavit Goteſchalchus Germanus, profeſſione Monachus, & ſæculo 16to Lutherus, ac Calvinus. ✻ 28vâ. Contr. fuit cùm Neſtorio Ep: Conſtantinop: qui anno 430. cæpit docere, B. Virginem non eſſe DEI Matrem, & in Chriſto duas eſſe Perſonas, Divinâ, ac humanam. ✻ 29nâ. Contr. fuit paulò poſt cùm Eutyche Abbate, & Dioſcoro, qui ut Neſtoriò contradicerent, docebant, in Chriſto non ſolùm unam eſſe Perſonam, ſed unam naturam. Eutychianæ Sectæ magnus per Africam propagatur fuit ſexto ſæculo Iacob homo Syrus, undè

Iaco-

Iacobitæ. Cophi etiam in Africa, ubi suum Patriarcham habent, ac tenere dicuntur celebre Monasterium, in quo fuit domus olim habitata à Christo puero in Ægyptum profugo. Eutychiani fuerunt, & fortè sunt etiàm modò: Eutychi studuisse dicuntur Acenæthæ in Scithia & Constantinopoli Monachi, dicti etiam studitæ, & Petrus Gnaphæus dictus Fullo Pseudo Episcopus Antiochenus, docens circa annum 476. DEUM ipsum passum esse, & Crucifixum, hoc est ipsam Deitatem, imò Trinitatem, ut videntur significasse hujus Petri discipuli dicti fuerunt Theopatitæ, seu Theopassitæ.

* 30mâ. Contr. fuit cùm Monothelitis, qui ducibus sergio Constantinopolitano, Cyro Alexandrino, & Macario Antiocheno; Patriarbis circa annam 620. docuerunt, in Christo Domino unam duntaxat esse voluntatem. * 31mâ. Contr: fuit cùm Mahomatanis. Horum Dux Mahometes, natione Arabs. professione mercator vilissimus, indè Ductor exercitûs, circa ann: 630. ex pluribus sectis suam confecit, & propagavit, siquidem cùm sabellib. negat in Divinis Trinitatem Personarum, cùm Carpocrate alijsq; negat Christum DEUM esse, etsi Prophetam sanctum affirmet; cùm Audæanis DEUM corporeum fingit, cùm Iudæis & Ebionitis circumcisionem tenet, cùm Epicuro, summum bonum, in corporis voluptate ponit, cùm Tatianis vini usum vetat &c. * 32dâ Contr: fuit cùm Iconomachis circa ann: 719 cultum Sacrarum imaginum reprobantibus. Horum primi fuerunt Iudæi, mox Machometani, sed qui eis hoc tempore crudelissimũ bellum induxit, fuit Leo III. Imperator, vulgò Isaurus. * 33tiâ Contr: fuit anno circ: An: 796. cùm Albanensibus, qui renovarunt errores Manichæorum de duplici principiò, & de transmigratione animarum; & sursus Sacramenta, resurrectionem Cor-

porum, extrenum Iudicium, Purgatorium Infernum & Ecclesiæ potestatem negarunt, ipsumq; Christum, aut non verum hominem, aut impassibilem fuisse dixerunt. ✱ 34tâ. Contr: fuit cùm Græcis circa ann: 1050: Cæperunt quidem Græci tempore Nicolai I. auctore Photio Schisma facere; tamen hoc tempore apertissimè se ab Ecclesia Romana diviserunt, & cæperunt defendere errores suos, nempè hos; Spiritum Sanctum à Solo Patre procedere, Eucharistiam non in azymo, sed in fermentato pane confici posse, Purgatorium non esse, nec antè diem Iudicij justis æternam gloriam, aut reprobis æternum supplicium reddi, Papam non esse totius Ecclesiæ caput Notat Hosius Card: lib. de sacedr: conjugio. Quaterdecies Græcos spontè ab Ecclesia Latina scissos, & ad eandem fere toties esse reversos. ✱ 35tâ. Contr: fuit pariter circa ann: 1050. cùm Berengario Archidiacano Andegavensi, docente in Eucharistia non esse verùm Christi Corpus & Sangvinem, deindè revocans hunc errorem, docuit cùm Corpore Christi esse etiam substantiam panis, addidit, parvulos non esse baptizandos, sed tantùm adultos. ✱ 36tâ. Contr: fuit circa an: 1120. cùm Petro de Bruis, & Henrico Tolosano Monacho Apostata; qui docuerunt Missæ Sacrificium nil esse, fidelium preces defunctis nil prodesse. Baptismum sinè fidè nil conferre parvulis. ✱ 37mâ. Contr. fuit circa ann: 1140. cùm Petro Abailardo, qui doctrinam defendebat mixtam ex Arrianismo, Nesterianismo, & Pelagianismo, nilq; esse credendum dicebat, nisi quod Intellectus noster beneficio rationis comprehendere posset. Huic ad hæsit Arnoldus Brixiensis; Romæ tandem strangulatus. ✱ 38vâ. Contr: fuit circa annum 1160. cùm Pauperibus de Lugduno dictis Waldensibus, ex quodam Waldo Lugdunensi, qui ex mercatore Opulento factus voluntarius pauper, cæpit

cæpit prædicare, & ex ignorantia errores docere, reprehensus à Clero, errores auxit. Hi fuêre præcipui. 1. Ecclesiæ Christi Ministros propria possidentes peccare contra præceptum Christi: *nolite possidere autem*, ac proindè Romanam Ecclesiam defecisse à tempore Sylvestri I. quo possessiones habere cæpit, nullum in ea quantumvis probum salvari posse, spernendas esse ejus Indulgentias, benedictiones, consecrationes, cæremonias; nec obediendum Ecclesiæ Prælatis. 2dò omnem potestatem etiam Laicam, solo peccato mortali deperdi, peccato autem carentem evadere Sacram, ac proindè Sacerdotem in mortali existentem, nec consecrare, nec absolvere, Laicum è Contra justum, hæc omnia ritè facere. 3tiò. nullam Orationem præter Dominicam esse faciendam. * 39nâ. Contr: fuit circa an: 1200. cum Albigensibus hæreticis pessimis, & ejusdem ferè doctrinæ cùm Albanensibus, de quibus supra Contr: 33. & nisi armis subacti fuissent, totam Europam corrupissent.

* 40mâ. Contr. fuit circa an: 1250. cùm quodam Gvilhelmo de S. Amore, Doctore Parisiensi, qui ex odio in Ordines Mendicantes docebat, non licere omnia sponte relinquere, & ingredi Ordinem religiosum, qui non habeat saltem posessiones in communi. Hujus Libros Alexander IV Papa damnavit. * 41mâ. Contr. fuit cùm Flagellantibus, qui circa an: 1273. per italiam, Galliam, Germaniamq; vagantes, & se flagellis ad ostentationem cædentes, docebant, ab adventu suæ Sectæ Christi Evangelium cessasse, & babtismum aquæ, in baptismum Sangvinis, quem quisq; flagellis è suo corpore deberet elicere, esse mutatum. Flagellationem tandem martyrio æquandam aut etiam præferendam. * 42dâ. Contr. fuit cùm Fratricellis, quorum errores similes fuêre, erroribus Pauperum de Lugduno. Hos damnavit Bonifacius VIII. * 4tiâ, Contr.

Contr. fuit circa ann: 1300. cùm Begvardis & Begvinis seu Bisochis, quorum præcipui errores fuêre: Hominem in hac vita posse evadere sic perfectum ut reddatur impeccabilis, & ampliùs in gratia proficere non valeat: hominem verò qui talem gradum sit assecutus, non teneri ampliùs orare Ecclesiastica jejunia servare, nec ullos virtutum actus exercere, nec ulla bona opera præstare, imò nec assurgere, dum elevatur Venerabile Sacramentum Rursus hunc hominem in hac vita posse assequi beatitudinem ita perfectam, ac in Patria. Ijdem tamen cùm tali sua tàm sublimi perfectione actum carnalem ob flagrantem concupiscentiam excusabant. Damnati fuêre in Concilio Oecumenico Viennensi sub Clemente V. anno 131. His non absimiles fuerunt Illuminati, orti in Hispania anno circiter 157. & iterum posteà anno 1623. quorum capitalis error erat, quòd tantam cùm DEO unionem, talemq; perfectionis statum vi orationis mentalis se assecutos jactarent, ut nec bonis operibuss, nec Sacramentis ampliùs egere se dicerent, & posse sinè culpa turpissima quæque patrare. * 44tâ. Contr. fuit circa ann: 140. cùm Ioanne Wicleffo, qui Vigorniensi Episcopatu non impetrato à Papa defecit, & errores Waldensium circa potestatem Ecclesiæ & Ministros, ipsosq; Laicos Magistratus Controv: 38. recensitos, renovavit. Addidit substantiam Panis & Vini remanere post consecrationem, Christum in hoc Sacramento non esse realiter, & in propria corporali præsentia; omniaq; absolutâ necessitate evenire. Hos aliosq; ejus errores damnavit Concilium Constantiense Generale. * 45tâ. Controv: fuit cùm Ioanne Huss. (& Hieronymo Pragensi, insigni Bohemorum Doctore, qui anno circiter 1407. Waldensium & Wicleffitarum errores renovavit Addidit, omnes etiàm laicos debere sub utraq; specie communicare. Uterq;

fuit

fuit in prædicto Concilio Constantiensi combustus anno 1415. ✱ 46tâ. Contr. fuit cùm Petro de Osmâ Professore Theologiæ in Academia Salmaticensi, qui docuit Confessionem merum institutum humanum esse, & rursus; pænitentes absolvi non debere antè peractam pænitentiam. Damnatus fuit à Sixto IV. ✱ 47mâ. Contr. cæpit circa annum 1517. cùm Luthero Saxone Apostata, cujus præcipui errores fuêre: liberum hominis Arbitrium per Adæ peccatum extinctum fuisse; nullum esse hominis meritum ad salutem; hominem *Solâ* fide, sinè operibus justificari; Sacramenta novæ legis nec gratiam conferre, nec characterem, imprimere, Confessionem auricularem esse humanum inventum; in Eucharistia cùm Christi Corpore manere panem, nec Christi Corpus in hoc Sacramento esse semper, sed in solo usu ab omnibus sub utraq; specie sumendum hoc Sacramentum; Missam nec à Christo institutam, nec Sacrificium esse, Sacerdotes ad cælibatum non teneri; Indulgentias nullas esse, Sanctos nec colendos, nec invocandos; Contritionem ex solo metu conceptam peccatum Hypocrisis continere, in Ecclesia Solos esse bonos; purgatorium ex Scriptura probari non posse &c. Hos errores damnavit Leo X. ac posteà Concilium Tridentinum ✱ 48vâ. Contr. fuit cùm Calvino qui circa annum 1515. prædictis Lutheri erroribus hos addidit: Decreta DEI non esse ab æterno. Christum non esse mortuum pro omnibus, sed pro solis prædestinatis; per suam passionem nihil sibi meruisse; illum in Cruce desperâsse, nec verè ac propriè descendisse ad inferos, ab initio multa ignorasse, quæ posteà didicit; DEUM prædestinasse alios quidem ad gloriam, & alios ad supplicium sinè ullo illorum merito, & horum demerito, hoc decretum tollere humanis actibus libertatem; non dari gratiam habitualem, sed solam actualem,

eamq;

eamq; talem, ut non sufficiat ad servandã totam legem; DEUM esse auctororem peccati, & ab eo homines ad peccata impelli, filios fidelium nasci sanctos, nec baptismo indigere, infidelium filijs baptismum non prodesse; filios illegitimos ad Baptismum non admittendos; in Sacramento Eucharistiæ esse solùm figuratìvè Christi Corpus & Sangvinem. Hos errores damnavit Concilium Tridentinum. Divisionem Sectarum Lutheranæ & Calvinianæ in alias complures vide in Authoribus Polemicis, qui de his fusiùs tractant * 49nâ. Contr. fuit cùm Michäële Bajo Doctore Lovaniensi; cujus multi errores continentur in Propositionibus 79. quas infra enumerabimus.

* 50mâ. Contr. fuit cùm Iansenistis Anno circiter 1640. qui Iansenij Iprensis, Episcopi doctrinam in Bajo damnatam propagabant, & præsertim celebres quinq; Propositiones, quas de dicti Iansenij libro, (cujus titulus (*Augustinus*) excerptas Innocentius X. damnavit. Et quia sæculo nostro in Gallia Iansenismus fuit renovatus, SSmus Dominus Clemens XI. Propositiones à Quinelio sparsas reprobavit per Bullam Unigenitus; quæ omnia infra adnotabuntur. * 51mâ. Contr. orta est circa an: 1680. cùm Quietistis, quorum Magister Michàël de Molinos Presbyter Hispanus docebat; In vita Spirituali, sivè Mystica, hos solos censendos esse perfectos, & verè mysticos, qui per unũ actum non revocatum, DEO semel oblati, & totaliter uniti, resignati, atq; relicti reliquos omnes actus ut superfluos suspenderent, ac veluti inanimati permanerent, nil prorsùs operando, neq; volendo, neq; petendo, nec de acceptis à DEO bonis gratias agendo, nec ad proprios defectus reflectendo, sed silentio, & merè passivè se habendo, in absoluta permanent in differentia circa omnia, sivè pænam, sivè præmium sivè infernum, sivè paradisum, seu damnationem, seu salu-

salutem sinendo, ut DEUS operaretur; & suam Divinam voluntatem in ipsis adimpleret. Undè & alios multos errores, similes erroribus Begvardorum, Begvinarum, Illuminatorum deducebat. Hos verò omnes damnavit Innocentius XI. die 28. Augusti Anno Domini 1687.

Proferuntur varia loca Scripturæ Sacræ à Sectarijs depravata.

NOn potest vera esse Religio, quæ imposturis & fraudibus propagatur. Nulla verò est impostura sceleratior, quàm Verbum DEI corrumpere, & aliquid abolere, aut adijcere, quo in oppositum sensum transferatur. Quàm nefario ausu moderni Sectarij Verbo DEI vim intulerint, paucis exemplis monstrabo: 2. Petri 1. Editio vulgata & antiquissima sic habet: *Qua propter Fratres magis satagite, ut per bona opera, certam vocationem vestram, & electionem faciatis.* Lutherus suâ authoritate in suis Scripturis delevit, *per bona opera*: quia verba illa apertè adversantur ejus errori, quo docet bona opera homini ad salutem non conducere, sed sufficere sola merita Saluatoris. Eadem ratione in Ep Rom. C. 30. *Ar'itramur hominem justificari per fidem*, Lutherus adjungit per *solam* fidem, ut iterum excludat bona opera, tanquam ad justitiam non necessaria. In Evangelio Marci & Lucæ C. 20. apertè legitur *Hoc est Corpus meum*: cujus loco imprimunt pleriq; Sectarij, *Hic est Corpus meum*, nè particula *Hoc*, relata ad *Corpus* Christi, significet veram Transsubstantiationem. Ioan: 6. vbi Biblia antiquissima etiàm Genevensis sic habent: *Ego sum panis vivus qui de cælo descendi*, pro voce *vivus* cùm Calvino substituunt, *vivificans* ut intelligatur panis usualis, qui hominem vivificat, etsi panis ipse

non vivat, ut sic excludatur vivum Christi Corpus, quod in Euch: non admittunt. Iacobi 5. semper legebatur *Confitemini alterutrum peccata vestra*, imò sic habetur in impressione Genevensi anno 1564. sed quia Sectarij negant Confessionem Sacerdoti, aut alteri, quàm soli DEO faciendam esse; in Biblijs Genevæ excusis anno 1605. inverterunt: *Confitemini peccata vestra erga invicem.* Aliud namq; est peccata ergà invicem commissa DEO confiteri, quàm ea peccata alterutrum, id est sibi in vicem confiteri. Hæbr: 13. Sic habetur: *Honorabile connubium in omnibus*, id est nihil est in connubio, quod non sit honorabile. Hi autem Veneris Patroni transferunt Honorabile connubium *inter omnes*, ut nempè sic defendant matrimonium etiàm Sacerdotum, Monachorum Monialium ex Apostoli sensu esse honorabile. Ephes. 5. de Matrimonio dicitur. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia.* Sed novatores contra mentem antiquioris etiam Hieronymo versionis loco *Sacramentum* posuerunt *secretum*, ut Matrimonium Sacramentum negent, & evincant tantùm esse civilem contractum. Ad Philem. V. 14. Paulus dicit. *sinè consilio vestro nil volui facere, ut nè velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium.* Ad excludendam liberi arbitrij indifferentiam. Sectarij Sententiæ huic venenum aspserserunt, addendo *velut voluntarium*, nè verum voluntarium sinè necessitate admittere cogerentur. 1. Thess. 2. Apostolus monet; *Fratres state, & tenete traditiones quas didicistis, sivè per sermonem, sivè per Epistolam nostram.* Sed illi immutarunt sic: *Tenete documenta.* Nolunt enim ut Sanctus Paulus cùm Pontificijs dicat tenendas Traditiones, quas illi repudiant. 1. Cor. 9. quærit Paulus: *Nunquid non habemus potestatem mulierem Sororem circum ducendi!* Lutherus *sorore* minimè contentus, adjun-

jungit, *in uxorem.* Docet enim Apostolos uxores habuisse, easq; dum prædicarent ad opus conjugale circumduxisse, uti ipse Lutherus ejusq; Apostoli facilê consueverunt. Quid reliqua proferam latrocinia verbo DEI inviolabili à modernis Sectarijs illata, ut à Renato, Benedicto, & Ludovico, Berquino Parisyis exusto, qui cùm pluribus alijs Sacras literas innumeris corruptelis fædarunt, in quibus vel unum apicem adulterare, summum foret sacrilegium! si enim in Regio diplomate aliquid immutare, crimen est Læsæ Majestatis, morti obnoxium, quàm enorme erit in commutabilem æternæ veritatis paginam, tot modis pro libitu violare. Sed & hinc argumentum evidens præbent doctrinam suam à veritate deviare, dum ad eam tuendam Scripturæ Sacræ veritates immutare necesse habent.

Antilogiæ. Quibus ipse Lutherus & alij in sua doctrina sibi contradicunt.

ANtilogia 1mâ. Septem ponenda sunt Sacramenta. *Ita scribit Lutherus de potest: Papa.* Tantùm tria sunt Sacramenta pro tempore ponenda. *Idem de capt. Babyl.* ✶ Antilogia 2dâ. Duo tantùm sunt Sacramenta. *Lutherus ad Waldenses.* Si juxta Scripturas loqui velim est tantùm unum Sacramentum. Idem docet de capt. Babil. ✶ Antilogia 3tiâ. In puero post Baptismum negare remanens peccatum, est Paulum & Christum simul conculcare. *Luth: in assertionibus.* Baptismus omnia peccata remittit. *Idem in capt. Bab: de Baptismo.* ✶ Antilogia 4tâ. Confirmatio Sacramentum est. *Luth: de potest. Papa.* Mirum quid illis in mentem venerit, quod Sacramentum Confirmationis fecerunt ex impositione manuum. *Idem de capt. Babyl.* ✶ Antilogia 5tâ. In

Sacramento Altaris non est Panis & Vinum, sed species panis & Vini. *Luther. in serm. de Euchar.* Thomistica doctrina est, transsubstantiari panem & Vinum; liberum est & citra salutis periculum imaginari; opinari & credere, remanere aut non remanere Substantiam Panis & Vini. *Idem de capt. Babyl.* Impius & blasphemus est, si quis dicat panem transsubstantiari, Catholicus autem & pius est, qui contrarium docuerit. *Luth lib cont Reg Anglia.* Sicut panis & vinum transsubstantiatur, ita & nos in Spirituale corpus transmutamur. *Idem serm. de Euchar.* ✱ Antilogia 6tâ, impiissimus usus est in Ecclesia persuaderi, Missam esse opus bonum, & Sacrificium. *Luther. de capt. Babyl.* Missas pro vivis & defunctis valere, tota approbavit Ecclesia. *Idem de 10. prac.* ✱ Antilogia 7mâ. Sacerdotes à subditis honorandi sunt. *Luther in Decalogum.* Nullum in novo Testamento Sacerdotium, nisi quod est humanis mendacijs à Sathana creatum. *Idem de capt. Bab.* ✱ Antilogia. 8vâ. Confessio auricularis in Ecclesia, & si ex Scriptura probari non possit, utilis tamen est, imò necessaria. *Luth. de capt Bab.* Confessio Auricularis est fictiò hominum. *Idem de 10. lepr.* ✱ Antilogia 9nâ Matrimonium non solùm sinè ulla Scriptura Sacramentum censetur, verùm ejsdem traditionibus quibus Sacramentum esse jactatur, merum ludibrium factum est. *Luth. de capt. Babyl.* Matrimonium in Ecclesia DEI Sacramentum est *Idem de potest. Papa.*

Antilogia 10mâ. Ordo in Ecclesia DEI Sacramentū est *Luth de potest. Papa.* Sacramentum Ordinis Ecclesia ignorat, inventumq; est ab Ecclesia Papæ. *Idem de capt. Babyl.* ✱ Antilogia 11mâ. Extrema unctiò Sacramentum est. *Luth. de post. Papa.* Si usquam anteà deliratum est, in extrema unctione, nunc præcipuè deliratū est. *Idem de capt. Babyl.* ✱ Antilogia 12dâ.

Si

Si potestas Papæ non esset à DEO, nec jure Divino; tàm diu subsistere potuisset. *Luth. de potest. Papæ.* Certus sum Papatum Regnum esse Babylonicū. *Idem de capt. Bab. & alibi sæpè.* * Antilogia 13tiâ. Sola Christi fides necessaria, quâ justi simus, cætera omnia liberrima, neq; præcepta ampliùs, neq; prohibita. *Luth. ad Galat C. 2.* Vita Christiana est credere & diligere, at diligere nihil est, nisi benè facere. *Idem de 10. leprosis.* * Antilogia 14tâ. Ecclesia errare non potest. *Luth. de 10. præc.* Ludificatio Sathanæ est affirmare, quod Ecclesia si quandò erret aut peccet, ideò non est Ecclesia. *Idem.* * Antiologia 15tâ. Neq; Papa, neq; Episcopus, neq; ullus hominum habet jus unius syllabæ constituendæ super Christianum hominem. *Luth. de capt. Bab.* Ideò positi sunt Canones Patrum, ut dirigant populum. *Idem de 10. præc. C. 5.* * Antilogia 16. Rectè conclusi meritum Christi thesaurum esse Ecclesiæ, & Sanctorum meritis juvari certum est. *Luth. concl: 10. cont. Esecium.* Pro meritis S. Petri nè unum quidem obulum darém, ut me adjuvarent, quia se ipsum juvare non potest. *Idem in art.* 4. 9. 9. * Antilogia 17mâ. Contra veritatem Apostolicarum Veniarum qui loquitur, sit ille anathema & maledictus. *Luther. in Resol.* Indulgentiæ nihil sunt, nisi Romani Pontificis imposturæ. *Idem de capt. Bab.* * Antilogia 18. Tutiùs est totum Purgatorium negare, quàm Gregoriò in Dialogis credere. *Luth. de abrog Missæ.* Non solùm credo, sed etiàm certissimè scio Purgatorium esse. *Luth. in disp. Lips.* * Antilogia 19nâ. Reverà DEUS nobis liberam voluntatem contulit; cur tu illam liberam non permittis? cùm enim tu illâ ad tuum abuteris libitum non est libera, sed magis servitute apud te servit. *Luth. in explic. Orat. Domin.* Liberum arbitrium figmentum est in rebus, seu titulus sinè re, quia nulli est in manu sua cogitare quid-

 quam

quam mali, aut boni, sed omnia ut Wicleffi articulus Constantiæ damnatus rectè docet, de necessitate absolutâ eveniunt. *Idem in assert. art. 26.* ✱ Antilogia 20mâ. Sæpè nullus vir in Concilio est, qui Divinum Spiritum vel modicùm olfecerit, sicut contigit in Nicæno Concilio, ubi de uxoribus Sacerdotum agebatur. *Luth. in serm. attendite à falsis Prophetis.* Concilijs nihil de rogo, sed omniū Sacratissimum fuit Nicænum. *Id in Disp. Lips.*

ANTILOGIÆ QUÆDAM CALVINI.

Antilogia 1mâ. DEUM esse absolutè Omnipotentem fatetur Calvinus ad Cap: Lucæ. Verbo, inquit, DEI nulla impossibilitas objicienda. Istud somnium quod scholastici de potestate absoluta in DEO, introduxerunt execranda blasphemia est. *Idem ad cap. 23. Isaia.* ✱ Antilogia 2dâ Ita reputanda est nobis in hoc nomine (IESU) Divina Christi Majestas, ut reverentiam apud nos obtineat, quæ vnico debetur & æterno DEO. *Calvinus ad Matt. C. 1. V. 23.* Plusquam ridiculi sunt Sorbonici, Sophistæ, qui ex præsenti loco. *Ut in Nomine IESU omne genu flectatur*; genu flectendum esse colligunt, quoties nomen IESU pronuntiaretur, quasi vox esset magica, quæ totam in sono vim haberet inclusam. *Idem ad cap. 2. Ep. ad Philip* ✱ Antilogia 3tiâ. Si uni hoc dixisset Christus vel paucis, non posse eos pervenire in regnum cælorum, nisi prius renati essent, possemus conjicere certas duntaxat personas notari, sed de omnibus sinè exceptione loquitur. *Calv. ad C. 3. Ioan.* Explodendum est eorum commentum, qui omnes non baptizatos æternæ morti adjudicant. *Idem Instit l. 4. C. 16. § 36.* ✱ Antilogia 4tâ. Ergò in Sacra cæna miraculum agnoscimus, quod & naturæ

fines

fines, & sensûs nostri modum exuperat, dum Christi vita nobis fit communis, & ejus caro nobis in alimentum datur. *Calv. Tract. de concordia meunda.* Isti (Lutheri Assedæ) boni ejus Zelotæ miraculum sibi fabricant, quo sublato evanescit DEVS cum sua Omnipotentia. *Idem Inst l 4. C.* 17. § 24. *Et* § 24. *ibidem.* Illi auditis Christi verbis. *Hoc est Corpus meum*, miraculum ab ejus mente remotissimum imaginantur.

De Successione continua summorum Pontificum.

SUccessionem continuã summorum Ponficum semper æstimarunt Patres. Nam S. Augustinus ait: Tenet me in Ecclesia ab ipsa sede Petri, cui pascendas oves suas Dominus commendavit, vsq; ad præsentem Episcopatum, successio Sacerdotũ, Idem sentiunt alij Patres. Ecclesia enim Christi ideo dicitur Apostolica quia ab Apostolis per Continuam successionem deducta est juxta illud ad Ephes, 2. 20 Superædificati super fundamentum Apostolorum &c. In nulla autem secta sic viguit successio continua doctrinæ & Fidei Apostolicæ per Continuam successionem Episcoporum & Doctorum in eadem Fide semper convenientium ab Apostolorum temporibus, & velut de manu in manus eam tradentium, vt in Ecclesia Catholica. Druetus Hæreticus Bezam Genevæ Audivit de Pontificum successione sic dicentem Negare non possumus Personalem hanc in Petri sede Successionem seu de manu in manum traditam penes Papistas esse. Cui Druetus respondit: Ergo nos sumus Schismatici & Seditiosi, Nam Seditio est à Sede itio. Mox Beza dixit illi Habent illi Personalem Successionem, Nos doctrinæ. Cui Druetus reposuit Quomodo personalis Successio Separari

possit à Successione doctrinæ? Vbi ergo sunt illa capita in quibus doctrina illa residet? Num doctrina est sine Personis quæ illam retineant & proponant? Fides enim ex Auditu, auditus autem non fit, nisi alius dicat, dicere verò supponit personam quæ dicat. Hoc discursu Commotus Druetus Luteriam ad Legatum Pontificis, deinde Romam profectus resipuit, & Catholicam Fidem vna cum alijs triginta sex recepit.

Successionem hanc prædixit Paulus ad Ephes. 4. Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios Pastores & Doctores ad Consumationem Sanctorum, in opus Ministerij in ædificationem Corporis Christi donec occurramus omnes in vnitatem Fidei in agnitionem Filij DEI. Vbi vides Pastorum & Doctorum tam diuturnam Successionem prædici donec fiat vnitas Fidei inter omnes, & Vnum sit Ovile & vnus Pastor, Ioan: 10. Eandem Successionem prædixit S. Malachias Archiepiscopus Ardinacensis & Metropolitanus Hyberniæ qui obijt Anno Dom: 1148. Cujus vitam descripsit S. Bernardus; Hic Pontificum Romanorum centem & decem à suo tempore succesurorum Divinitus prædixit ænigmatice. Numeramus ergo Pontifices à S. Petro 255. includendo mordernum feliciter regnantem Innocentium XIII. Cujus ænigma est. *De Bona Religione*. Aliorum verò futurorum Pontificum ænigmata sunt sequentia.

1. Miles in bello
2. Columna Excelsa,
3. Animal rurale,
4. Rosa Umbriæ,
5. Vrsus velox.
6. Peregrinus Apostolicus.
7. Aquila rapax.
8. Canis & Coluber.
9. Vir Religiosus.
10. De Balneis Hetruriæ.
11. Crux de Cruce.
12. Lumen de Cælo.
13. Ignis Ardens.
14. Religio depopulata.

15. Fi-

15. Fides intrepida.
16 Paſtor Angelicus.
17. Paſtor & natura.
18. Flos Florum.
19. De medietate Lunæ.
20. De labore Solis.
21. Gloria Olivæ.

In perſecutione Extrema S. Romanæ Eccleſiæ ſedebit Petrus ſecundus, qui paſcet Oves in tribulationibus quibus tranſactis Civitas Septicoliis diruetur & Iudex tremendus judicabit populum ſuum. Reliqua propria ænigmata ejuſdem S. Malachiæ & illorum explicatio videantur in alijs Authoribus. Advertendum autem eſt, quod alij admittant plures Pontifices, alij pauciores; Cujus cauſa eſt quod aliqui aliquos cenſent illegitimos alij verò pro legitimis illos habent, vel aliqui non adſcribunt numero Pontificum illos qui parum in Pontificatu vixere vel ſolum per unum annum vel per aliquod menſes vel dies. vg. S. Marcus menſibus Octo Valentinus uno menſe S. Romanus 4. menſibus. S. Theodorus II. diebus 20. Damaſus II. diebus 23. &c.

S. Petrus poſt Aſcenſionē Chriſti gubernavit Eccleſiā in Iudæa Annis 5. Antiochiæ 7. Annis; Romæ ſedit 25. Annis, & menſibus duobus, cujus Annos Pontificatûs nullus Papa attigit. Ex Omnibus autem Pontificibus Numerantur Martyres circiter 34. SS. Confeſſores 41. Eccleſiæ Doctores duo ſcil: Leo M. & Gregorius M. Fere tertia pars Pontificum inter Sanctos publico teſtimonio annumerata. Quanta gloria Eccleſiæ Romanæ quæ Reſpublica Sacra vel politica tot Sanctos Principes habuit; Cæteri Pontifices fuerunt boni & laudabiles, Exceptis paucis qui partim cū laude partim cum Vituperio Pontificatum geſſerunt, vitam tamen ſuam aut pænitentia aut factis Contrarijs & egregijs virtutibus emendarunt vel heroicis facinoribus mundum ædificarunt nomenq; æterna memoria digniſſimum, poſteris relinquerunt. Fuerunt

runt autem multi Pseudo papæ qui partim per potentiam Imperatorum & Principum partim factionibus prætendebant Papatum, inter quos Navis Ecclesiæ tanquam inter Scillas & Charybdes Agitabatur, sed semper inconcussa emerserat, contra quàm nec portæ inferi prævalere valent. Dequa illud carmen:

Fluctuat ast nunquam mergitur illa ratis.

De Numero Conciliorum tam veteris quam Novi Testamenti.

HÆretici contendunt Concilia esse humanæ inventionis commenta sed falso, Originem enim suam trahunt ex veteri Testam. Num. 26. Viri Proceres sinagogæ qui tempore Concilij per Nomina vocabantur. Quæ fuerunt vndecim.

I. Concilium Celebratum est An: mundi 279. in Sichem sub Eleazaro Pontifice, Iosue & Senioribus assistentibus ad prohibendam Societatem cum Gentilibus, auferendum DEOS alienos, & sepelienda Ossa Ioseph Iosu: 24.

II. Fuit Hierosolymis sub summis Pont. Sadoc & Abiathar regnante David An: 3020. Pro distribuendis Levitis in varias Classes ad Ministerium Templi & reperti suut Numero 38000. 2. Paralip. 29.

III. Fuit Ibid: sub Azaria sumt Pontif. & Ezechia Rege pro restituenda Religione Templo, Festis & re Divina An: 3308. 2. Paralip. 29.

IV. Fuit Ibid An: 1412. sub Helcia Pontif. Regnante Iosia pro restituenda Religione sub impijs Regibus pessumdata pro repurgando templo, Paschate Celebrando juxta ritus majorum & Ariolis Expellendis. 4. Reg: 23.

V. Fuit Ibid: sub Eliazinbo Pontif. & Nehemia Duce An: 3609. Pro restituendo codice & Canone S. Scri-

S. Scripturarum; major enim pars Veteris testamenti perierat in Captivitate Babilonica quando Civitas & Templum eversa sunt.

VI. Fuit Ibid: An: 3793. sub Eleazaro Pontif. pro mittendis in Ægiptum 72. interpretibus. Voluit enim Rex Ægipti Ptolomæus vt Eleazarus Pontif. ad se mitteret libros quos Divinos esse Audierat & homines doctos qui ex Hæbreis illos redderunt Græcos, Vnde Pontifex Concilium coegit in quo conclusum est nominandos esse 70. Seniores, sex ex qualibet Tribu qui in Ægyptum se Conferrent sacrumq; Codicem ex Arca Sanctuarij extractum illi offerent. Re sic Acta Ptolomæus Sapientes illos in Insula Pharos singulis Cellis reclusit, vt versioni horum librorum operam darent: & tam Admirabilis visus est inter eos Consensus ut nec in verbis nec in sensu discreparent scribendo.

VII. Fuit Alexandrinum sub Ionatha Pontif. & Ptolemæo Rege Ægypti Iudæi enim Contendebant pro Templo Ierosolim. Samaritani verò pro Templo Garisitano. Iudicatum est templum Ierosolim. esse legitimum An. 3859. & hoc tantum propter Continuam successionem Pontificum, quam non habebant Samaritani qui erant Hæretici & Nostris in hoc similes Hæreticis & Schismaticis.

VIII. Fuit sub Iuda Mach: Contra Saducæos hæreticos non admittentes Resurrectionem corporum neque Angelum neq; Spiritum.

IX. Fuit Hierosol sub Matathia Pontif. Herode Regnante An: 4051. de quæstione vbi Christus nasceretur.

X. Ibid: sub Caipha Pontif, Imperante Tiberio, quod fuit Celebratum propter miracula Christi. Ubi respondit Caiphas ex instinctu Spiritus Sancti (qui etiam malos in dignitate Constitutos movet ad vera di-

dicenda, dum agitur de Ecclesiæ vtilitate) *expedit ut unus homo moriatur pro populo & non tota gens pereat, hoc autem à semetipso non dixit, sed cum esset Pontifex anni illius.* Ex his vltimis patet Caipham locutum fuisse non ex instinctu Spiritus maligni.

XI. Fuit Ibid: sub eodem Caipha & Tiberio Imp: dum captus esset IESUS; In quo Concilio Caiphas Cupidus mortis IESU memorq; prioris Sententiæ Iesum captiosè alloquitur dicens. *Adjuro te per DEUM vivum ut dicas nobis si tu es Christus Filius DEI.* Quod si hoc Concilium erravit & Pontifex dicendo Christum esse reum mortis; Nil mirum; Quia cum Christus incipiebat mori, sinagoga incipiebat deficere & carere assistentia Spiritus Sancti quæ Pontifices reddebat infallibiles.

In Novo etiam testamento inveniuntur varia Concilia Generalia & Particularia. Concilia Apostolica fuerunt Quatuor, Concilia summorum Pontificum post Apostolos fuerunt legitima 18. Illegitima 7. partim Legitima partim Illegitima septem.

Concilia Apostolorum.

I. Concilium erat post Ascensionem Christi Hierosolimis ad Eligendū aliquē loco Iudæ Proditoris cui suffectus est Mathias. Act: 1. per sortem quod approbat S. Augustinus Origenes & alij, quia nedū sortibus sed insuper Electione Vsi sunt Apostoli, duos eligentes ex multitudine Discipulorum tanquam Apostolatu digniores, & cum dubium erat quis eorum dignior esset; instinctu Spiritûs S. direxerunt sortes de quo Aug in ps. 30. ser. 2. dicit. Electi sunt duo Iudiciò humano & Electus de duobus vnus judicio Divino. Nam etiam Levit. 16 Sors præcipiebatur jacienda inter duos Hircos vt innotesceret, quis erat

immo-

immolandus & quis ablegandus in desertum. 1. Reg. 10. Samuel jussu DEI saulem in Regem eligit per sortem. Num. 17. Aaron DEO jubente sorte alijs prælatus est ad summum Sacerdotium & Terra Promissionis sorte divisa est Israelitis.

II. Habitum est Ierosolommis Anno primo post Ascensionem Christi Ante Pauli Conversionem ad Eligendos septem diaconos & satisfactionem postulationi Gentilium adversus Iudæos, quod viduæ eorum non honorabantur in Ministerio dnm eleemosinæ distribuerentur sicut viduæ Iudæorum Act. 6.

III. Fuit Hierosolimis Ann. 14. post Christi Resurr. inquo agitata fuit quæstio An: Gentiles Conversi deberent recipere Circumcisionem cum Baptismo In hoc Concilio Petrus vt primus Apostolorum definivit Controversiam dicens. Viri Fratres quid tentatis DEUM imponere jugum super Cervices Discipulorum Deniq; Iacobus vt Pastor Vrbis Ierosol. prosecutus est sermonem Perri. Visum est Spiritui S. & Nobis nihil imponere vobis oneris quam hæc necessaria &c. Hoc Concilium potest dici Generale ratione materiæ, particulare verò, quia tantum quatuor aderant Apostoli cum senioribus, nisi dicere velimus quod illi quatuor æquivalebant omnibus Apostolis propter abundantiam Charismatum & erant ita infallibiles ac si omnes convenissent.

IV. Fuit Ierosolimis Act: 21. propter contentionem de legis observatione Iudæis ad Tempus permissa vt cum honore Synagoga sepeliretur. Præter has Apostolorum Congregationes ex Scriptura desumptas, aliæ habentur ex historijs authenticis, vt pote illa quæ fuit in Obitu B. M. V. in qua Convenerunt omnes Apostoli; sicut & illa in qua omnes Apostoli Convenientes symbolum fidei composuerunt, quatenus in prædicatione vnius essent labij & doctrinæ per

totum

totum Orbem dispersi, quod Symbolum Continet duodecem Canones seu Articulos. Per Canones autem intelliguntur Regulæ quædam sive Fidei sive morum. Præter præfatos duodecem Canones seu Symbolum. Numerantur 85. Canones Apostolorum non ab ipsis Apostolis Compositi, sed ab immediatis successoribus eorum vt fidelem populum in bono ordine constituerent, dicunturq; potiùs, non Fidei sed morum regulæ. De quibus fuse tractat Boivin in sua Theologia Positiva. Folio 198.

Concilia Generalia legitima post Apostolos. Numerantur Octodecem.

I. NIcænum in Vrbe Nicæa, cujus appendix fuit Sardicense post aliquot Annos habitum Ann. 327 vsq; ad Annum 330. sub Sylvestro Papa. Præsidentibus Hosio, Vito & Vincentio Legatis Papæ convenerunt Episcopi 318. In hoc Concilio damnata fuit Hæresis Arij inæqualitatem inter Personas Divinas ponentis, asserentis Filium Dei Creaturam. Vnde hoc Concilium Filium D. Consubstantilem Patri confitetur, & proinde Symbolum Fidei ab Apostolis editum denuo construxit addendo illam particulam; *Consubstantialem Patri*; statuitq; vt post Hymnum glorificationis, Qui est: *Gloria Patri & Filio, & Spiritui Sancto.* Adderetur: *Sicut erat in principio & nunc & semper & in sæcula sæculorum, Amen.* Huic Concilio Constantinus Imperator interfuit ad quod cum ingressus fuerit, nonnisi Annuentibus Episcopis sedere voluit, protestans: Hîc loci non suum sed Episcoporum esse judicare; & Vltimus velut testis subscripsit.

II. Constantinopolitanum: partim Romæ celebratum An. 383. sub Damaso Papa, Convenerunt

Epi-

Episcopi Catholici 150. Semiariani 36. fuit & S. Hieronymus ac quatuor Patriarchæ, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Hierosolymitanus simul, & quamvis nec Papa per se nec per Legatos præsidebat confirmavit tamen illud quo ad res Fidei; in quo damnata est Hæresis Macedonij qui negabat Divinitatem Spiritui Sancto: Vbi Concilium Nicænum habebat simpliciter; *Credo in Spiritum S.* Istud addidit: *Dominum & Vivificantem, qui ex Patre Filioq; procedit.*

III. Ephesinum in Asia Minori Ann: 434. sub Cælestino Papa, Præsidente Cyrino Alexandrino Archiepiscopo & alijs Papæ Legatis Patres fuerunt 230. Damnata est Hæresis Nestorij qui duas in Christo Personas admittebat & dicebat B. Virginem esse quidem Matrem Christi non verò Matrem DEI, eo quod solùm humanam personam genuerit, Ideo in salutatione Angelica addita sunt, hæc Verba *S. MARIA Mater DEI Ora prò nobis &c.*

IV. Calcedonense in Babilonia An. 451. sub Leone Papa, præsidentibus Legatis Papæ, fuerunt in illo Patres 630. Contra omnes Hereses, præsertim contra Eutychen Constantinopolitanum Archimandritam, in Christo vnam tantum naturam asserentem, & ejus defensorem Dioscorum Alexandrinum Episcopum, Vbi illi condemnati fuere cum alijs Hæreticis & definitum est; sic Christum de Virgine natum vt duæ Naturæ Divina & humana, secundum substantiam realiter distinctæ, & impermixtæ remanserint, Vnitæ solum in vnitate Personæ Verbi; ita ut Christus sit verus DEUS & verus Homo. Præmissa quatuor principaliora Concilia vt pote Authentice stabilientia Fidem Catholicam, Sancta Ecclesia tanquam quatuor Evangelia amplectitur & veneratur cum Divo Gregorio *in Cap. sicut dist.* 15. Bellarm: *Tom:* 1. *Contr:* 4.

V. Con-

V. Constantinopolitanum II. An. 553. sub Vigilio Papa. Patres erant præsentes Circiter 165. Et licet Præsidentes Papæ non fuerunt, approbavit tamen illud quia illis vnitus erat mente & consensu in quo damnata fuit Hæresis multorum errorum Origenis & tria Capitula Theodori & Theodoreti ac Ibæ Episcoporum, & scripta Theodoreti Cyrenensis Episcopi contra S. Cyrillum in quibus Hæresis Nestoriana continebatur.

VI. Constantinopolitanum III. Cujus Appendix dicitur Synodus Trullana, vel etiam Quinisexta An: 681. sub Agathone Papa, præsidentibus Petro & Georgio Presbyteris ac Ioanne diacono. Adfuerunt Patres 289. In quo damnata est Hæresis Monotelitarum, qui vnam tantum in Christo voluntatem esse docebant.

VII. Nicænum II. 786. sub Adriano Papa: præsidentibus Petro Archipresb: & Petro Abbate Legatis Papæ. Patres erant 350 Damnata est Hæresis Iconoclastarum, Leonis Isaurici & Constantini Copronymi Imperatorum, qui Sacras Christi & Sanctorum Imagines contemnebant.

VIII. Constantinopol: IV. An: 869. Præsidentibus Legatis Pontificijs Patres erant 383. Rejectus est Photius Patriarcha Constantinopol: per vim intrusus. & restiturus Ignatius Iconoclastæ iterum damnati.

IX. Lateranense Romæ Ann: 1123 sub Calisto II. Papa ipsomet præsidente. Pro pace inter Ecclesiam & Imperium. Item, De bello contra Saracenos ad recuperandam terram Sanctam Patres erant. 900.

X. Lateranense II. Ann; 1139. sub Innocen: II. Papa Patres erant mille præsidente ipso Pontifice; Contra Antipapas Anacletum & Victorem; pro Iure Cleri & reformatione morum.

XI. Lateran: III. Ann; 1179. Patres erant. 300.

sub

ſub Alexandro III. Papa ipſo præſidente. Damnati ſunt Cathari ſeu Valdenſes & Albigenſes Hæretici. Ibidem multa ſtatuta ſunt pro Electione Papæ.

XII. Lateranen: IV. An. 1215. ſub Innocentio III. Papa ipſo præſidente Epiſcopi pluſquàm 1200. erat Contra Hæreſes Albigenſium & Errores Ioachimi Abbatis. Item de pace inter Chriſtianos.

XIII. Lugdunenſe in Gallia An: 1245. ſub Innocen. IV. Papa ipſo præſidente. Excommunicatus eſt & depoſitus Imperator Fridericus II. ſeu Barbaroſſa Pontifici rebellis & decreta expeditio in Paleſtinam.

XIV. Lugdun. II. An. 1274. ſub Greg. X. Papa ipſomet præſidente, Patres erant 500. Damnata Hæreſis Græcorum docentium, Spiritum S. non procedere à Filio ſed à ſolo Patre.

XV. Viennenſe in Gallijs An: 1311. ſub Clemente V. ipſomet præſidente Patres erant 300. Damnatæ ſunt Hæreſes Begvardorum Begvinorum & Fratricellorũ extinctus eſt Ordo Templariorũ qui Hieroſolymis habitabant juxta templum ob varia ſcelera.

XVI. Florentinum in Italia An: 1439. ſub Eugenio V. Papa ipſo præſidente, ſubſcripſerunt Patres 141. Contra Errores Græcorum. Ibidem facta eſt vnio Græcorum & Armenorum cum Latinis.

XVII. Lateranen: V. Inchoatum An: 1512. ſub Iulio. II. Abſolutum An: 1517. ſub Leone X. præſidente ipſo Papa. Ad tollendum Schiſma per Concilium Piſanum Illegitimum propagatum. In eodem decreta eſt expeditio contra Turcas ſed impedita per Seditionem Lutheri Patres erant 114.

XVIII. Tridentium Tridenti in Germania ceptum Bononiæ continuatum & Tridenti abſolutum. Inchoatum An: 1545. ſub Paulo III. Continuatum ſub Iulio III. Marcello III. Paulo IV. Finitum verò ſub Pio IV. An: 1563. ſubſcripſerunt Patres

255.

255. Multi non poterant expectare finem Concilij, quod duravit per 18. Annos. Præsidentibus Legatis Papæ varijs. Damnati Lutherani Sacramentarij aljq; Sectarij. Reformati sunt mores præsertim in Clero. Multiq; Articuli Fidei clarè elucidati.

Concilia Generalia Illegitima reprobata.

I. Antiochenum 90. Episcoporum An: 345. Convocatum à Constantino Imperatore inquo ab Arianis damnatus est S. Athanasius, & via patefacta est ad Eversionem Concilij Niceni I. Per quatuor subdolas Fidei formulas.

II. Mediolanense. 300. Episcoporum: Convocatum quidem à Liberio Papa An 354. Adeoq; legitime inchoatum, sed postea illegitime celebratum Coactis per vim Patribus à Constantio Imperatore, damnationi S. Athanasij subscribere.

III. Ariminense. 600. Episcoporum pariter sub Constantio Imp. An: 363. juxta Bellarminum. Sed Baronius duo Ariminensia distingvit Legitimũ vnum inquo Fides Nicæna confirmata fuit: Alterum illegitimum inquo fraude Arianorum etiam Episcopi Catholici subscripsere formulæ Fidei ambiguæ inqua vox *Homousios*, hoc est. Constubstantialis omissa est.

IV. Ephesinum. II. Episcoporum 128. ab Imperatore Theodosio convocatum An: 449. Inquo omnia vi & minis acta fuerunt. Eutiches absolutus. Flavianus Episcopus Constantinopol: occisus, vnde prædatoria Synodus & Latrocinium appellatum est.

V. Constantinopol; tempore Leonis Isaurici. An: 730. Contra S. Imagines Convocatum.

VI. Constantinopolitan: Pseudo septimum dictum Episcoporum Iconomachorum 338. An: 755. sub Copronymo Imp: Ad tollendum Cultum S. Imaginũ.

VII.

VII. Pisanum An: 1510 Congregatum à Maximiliano Imperatore & Rege Galliæ & aliquot Cardinalibus contra Iulium II. Sed mox reprobatum in Concilio Lateranensi sub eodem Iulio. II. & Leone X. Imperatores enim & Principes non habent præceptoriam potestatem Convocandi Patres sed tantum persvasoriam rogandi illos, & executoriam quæ ad Ius facti pertinent, Nam Principes sunt Executores legum & Defensores jurium Ecclesiæ: sic Martianus Imperator Convocavit Calcedonense Concilium Explorata prius S. Leonis Papæ voluntate cujus nutu & jussu Episcopos Orientis convocavit: Soli enim Pontifici tanquam supremo Capiti Ecclesiæ inest Authoritas præceptoria indicendi Concilium; soli Petro ac successoribus ejus dictum est à Christo: Tibi dabo claves Regni. Quodcumq; ligaveris &c.

Concilia Generalia partim Legitima, partim Illegitima.

I. SArdicense Appendix Concilij Nicæni I. sub Iulio I. Papa. An: 351. Occidentales Episcopi 300. Confirmarunt fidem Catholicam. Orientales 76. stabant pro Ariana Hæresi horum acta rejecta sunt & condemnata.

II. Sirmiense An: 356. sub Liberio Papa Editæ sunt duæ formulæ Fidei inter se discrepantes, vna Catholica Altera blasphema. Damnata est Hæresis Photini, quæ damnatio ab Ecclesia recepta est.

III. Constantinopol. Quinisextum in Palatio Trullo celebratū An: 692. inscio Rom: Pontif. Hujus tamē aliquot Canones dicti Trullani fuerunt à Catholicis recepti. Dictum est Quinisextum; Quia Patres per Canones quos condidere voluerunt supplere defectū (vt dicebant) quinti & sexti Concilij præcedentis,

IV. Francofordiense Ann: 794. sub Adriano I. Papa. Episcopi erant 300 Legatis Papæ præsidentibus. Approbatum est quo ad illam partem in qua definitur Christum esse Filium DEI naturalem & non tantùm adoptivum. Reprobatum autem, quatenus ex errore damnat acta Nicæni II. Circa cultum Imaginum.

V. Pisanum. In Italia Ann: 149. Gregorio XIII. & Benedicto XIII. pro verò Papa se gerentibus. Inquo erant Episcopi 180. Depositi præfati Antipapæ, & Electus Alexander V. Schisma tamen in illo non est sublatum sed auctum.

VI. Constantiense An: 1414. inchoatum sub Ioan: XXIII. Papa ad instantiam Sigismundi Imper. finitum An: 1418. sub Martino V: Episcopi erant 300. Sublatum est Schisma Depositi tres Antipapæ, & Electus Martinus V. Damnatus Wicleff & Hufs, vivus combustus. Approbatum à Martino V. Excepta Seff. IV. & V. quæ Papam subiciunt Concilio.

VII. Basilicense Inchoatum An: 1431. sub Eugenio IV. Basileæ ad Rhenum & absolutum An: 1449. sub Nicolao V. Lausannæ ad Lacum Genevensem. Præsidente sed ad tempus tantùm Legato Pontif. In quo Electus est PseudoPapa Dux Sabaudiæ dictus Felix V. Nihil in eo approbatum nisi quædam circa beneficia Ecclesiastica & Censuras Confirmavit studio pacis Nicolaus V. Eugenij Successor non verò decreta de Authoritate Concilij supra Pontificem.

A Concilijs Generalibus ad particularia descendendum est quæ vocantur Nationalia aut Provincialia. Nationalia convocantur à Patriarchis seu Primaribus in quibus conveniunt Prælati Vnius Patriarchatus vel Primatiæ Provincialia verò sunt ea quæ ab Archiepiscopis congregantur & ex Episcopis Suffraganeis componuntur. Quæ Concilia exactè describit Bojvin in

sua

ſua Theologia poſitiva f. 297. per ſeptemdecem ſæcula abſoluta. Ibidem agit de de membris ſeu de Partibus Eccleſiæ Militantis: Cum enim fideles ex quibus ea componitur DEO inceſſanter militent quàm diu in præſenti uita exiſtunt; Non immerito Eccleſia vocatur à Scriptura Terribilis caſtrorum Acies Ordinata tribus præſertim militum diſtincta generibus Nempe Clericis Laicis & Monachis. Inter Clericos Epiſcopi tanquam Duces non quidem toti Eccleſiæ ſed Agmini quiq; ſuo imperant cum in partem ſollicitudinis vocati ſunt non vero in poteſtatis plenitudinem: ſub His Presbyteri & Parochi vocantur tanquam Centuriones ſingulis Cohortibus præſunt. Iſtiſq; Diaconi ſubdiaconi & Clerici inferiores quaſi vexilla gerentes aut tympanis & tubis excitantes ad prælium vel huc atq; illuc mandata Prælatorum deferentes inſerviunt & ſubminiſtrant. Laici ſeu populus fidelis exercitum in toto Orbe Chriſtiano diffuſum & ſub Chriſti ſtemmate in Acie inſtitutum componunt. Regularium verò & Monachorum, alij in montibus quaſi Vigiles quidam perpetuo excubant & clamore laudis Divinæ exerrent inimicos. Alij tanquam devoti milites ante Aciem progrediuntur & hoſtilia caſtra audacter infeſtant. Alij verò quos Anachoretas vocamus armis cæleſtibus inſtructi in aperto campo lociſq; deſertis ſeparati à plebe ad ſingulare certamen Hoſtem Chriſtiani Nominis provocant: Hi ſunt inquam tres Ordines militares Exercitus Eccleſiaſtici.

PARS IV.

Contra Atheos Mahometanos Iudæos & Schismaticos.

Demonstratur Atheo Existentia DEI.

NOn pauci ex moderni temporis Pseudopoliticis Atheismum in animo fovent vel Indifferentismũ &c. dicentes in corde suo: Non est DEUS: non est altera vita: Nulla est Religio in mundo: Multi etiam fatuè Opinantur dicentes. Omnis Religio quæcunq; illa sit, DEO placet. Hi omnes, mentem suam, vel nunquàm vel non perfectè exprimunt, præsertim Calamo; ne quales sint etiam alijs appareant sceleratissimi, & nil nisi carnem ac terrena Sapientes. Frequentius aliquid produnt colloquio, jam inter notos aperte, jam inter ignotos obscure, gratiâ discursus, de rebus Fidei gravissimis haud aliter ac de novellis, aut negotijs politicis differentes, insuper tam ambigue, vt nescias cujus sint toni, quid credant, quid negent cum omnia negare cuperent, Hos profanæ Politicæ Epicureos Ministros & nigræ aulæ alumnos necesse est confutare & confundere, non alijs argumentis quàm vera ratio & lumen naturale omnibus inditum subministrat; siquidem Scripturam flocci habent vel pro libitu tractant & tanquam porci margaritas non valent æstimare: Sanctos Patres & Doctores contemnunt vel rident vt simplices Monachos miracula explodunt &c. nec mirum cum sint mancipia sensualitatis, cæci sunt & duces cæcorum.

Demonstratur Atheo DEUS. 1mô. Concipere realem perfectionem sinè imperfectione illi annexa, non

non est Concipere aliquid impossibile, sicut Concipere Aurum sinè admixtione æris &c. Concipere verò Ens necessario existens est Concipere perfectionem sinè imperfectione tali quæ contingentet existit, Itaq; Concipere Ens necessario semper existens, non est Concipere quid impossibile? sed hoc est concipere DEUM Iam verò quod necessario semper existit defacto existit itaq; defacto est DEUS. ✶ Secundo, Multæ sunt res productæ, & quæ quotidie generantur, vg. Metalla plantæ, animalia &c illa Ergo omnia, vel sunt à seipsis producta, vel ab alijs producta fuerunt? primum est impossibile nihil enim se producere potest imò quidquid producitur ab alio semper producitur, Illud autem aliud vel est à se, vel ab alio; Non à se Ergo ab alio; si ab alio, illud tertium erit à quarto; quartum à quinto & sic admittendus esset processus in infinitum, quem nullus sanæ mentis debet admittere: vel devenendum ad aliquod primum Ens, quod erit omnium causa & principium? & istud erit DEUS. ✶ Tertio. Ex mundi Conservatione, qui cum Componatur ex Elementis semper inter se pugnantibus: non posset Conservari nisi esset aliquis supremus moderator, cui elementa velut Hero obtemperarent. ✶ Quarto. Ex mundi pulchritudine, creaturarum gubernatione, & semper æquo Cælorum ac planetarum motu, qui diu non se tam Vniformaliter haberent, nisi sub lege DEI, qui hæc omnia ita disposuit. ✶ Quinto. Ex studio hominum ad virtutem, quod inane esset nisi existeret DEUS bonorum remunerator & vltor impiorum. ✶ Sexto. Ex naturali hominum inclinatione ad beatitudinem, non naturalem, quia non satiat appetitum sed supernaturalem quæ est DEUS.

Tandem probatur Existentia DEI, ex omnium populorum Consensu, quorum plurimi maluerunt ha-

bere falſum DEUM quàm nullum, & ut ait S. Chriſoſtomus: Creaturas, tam clare ſuum Conditorem prædicare; vt neque Scytha neq; Barbarus neq; Indus neq; ulla alia gens ſit, quæ hanc vocem, omni tuba clariorem intelligere non poſſit; Etiam ipſi Athei perditiſſimi, cum ſe cernunt in extremo deſtitutos humana ope, Cælum ſuſpiciunt, Numen quoddam ſupremum invocant &c. Sancti Patres communiter explicantes locum Pſ: 13. *Dixit inſipiens in corde ſuo: non eſt DEUS.* Obſervant, impium hoc dicere in Corde ſuo & in oculto, qua non audet Exterius tantam prodere inſaniam Unde Athenienſes reperto quodam Philoſopho dubitante de Exiſtentia Divina, illũ exilio mulctarunt libros ejus concremãdo; Nonne Ergo fatuum eſt & pene brutale, violenter dictanti naturæ reſiſtere, & contra tam antiquum conſenſum populorum, pauculos novos homines ac ſceleratos fatuam ſibi formantes apprehenſionem (quod nullus ſit DEUS) ſequendo. Denique: in qualibet Congregatione ſeu Republica bene Ordinata ſemper Conſtituitur primus tanquam ſupremus Præſes; Imò inter bruta, Leo eſt ſuper quadrupedia, Aquila ſuper volatilia & plurima bruta etiam reſpective inter ſe agnoſcunt Primum; Apes habent Regem ſuum cujus Nutui obediunt, Ergo ſupra hos omnes neceſſe eſt ſummum Rectorem; eorumq; Conditorem, à quo per quem propter quem in certos fines dirigantur.

Contra illud principium: *Nil à ſeipſo producitur, ſed ab alio*: Athei, dicunt hoc eſſe falſum; Quandoquidem non ſolum Ethnici & Gentiles ſed etiam Eccleſiæ Doctores præſertim Tertulianus, lib. de reſurrectione corporum referunt Hiſtoriam Phænicis quæ dicitur naturaliter ſeipſam reproducere, Unde vtuntur Exemplo illius ad probandam reſurrectionem. Ergo &c. Reſpondetur, Hiſtoriam Phænicis eſſe prorſus in-

incertam, vel dicendam illam reproduci aliam Numero per operationem Solis ex cineribus corruptæ Phænicis. Deinde Patres assumendo Phænicem ad probandam resurrectionem non volunt tamen inferre quod sit eadem Numero reproducta & producens, sed tantùm insinuare volunt quod non sit aptior similitudo quantùm ad hoc, quod ista Avis renascatur paucis post diebus sine Matre sine Patre, postquàm redacta sit in cineres. ℞. 2. Quodsi quis quærat rationem Cur id quod producitur ab alio produci debet? in promptu hæc erit: Quia si idem produceret seipsum, vnum & idem esset simul in actu & in potentia, existeretq; simul & non existeret; existeret quia produceret, non existeret autem quia produceretur, & sic remanet veritas Nostri principij.

Dicent secundo Athei, nullam reperiri Contradictionem quod in Ordine causarum sibi subordinatarum admittatur processus in infinitum ℞. revera esse Contradictionem: ratio est; si enim in causarum subordinatione non deveniretur ad aliquam primam & independentem à qua cæteræ dependent, tota Collectio Causarum esset simul dependens & independens, esset primò dependens quia in illa collectione causarum nulla est causa quæ non dependeat ab alia, Ergo tota collectio dependet, quia quod negatur de omnibus partibus collectivis, negatur de tota collectione. Esset secundo independens quia si dependeret, vel dependeret ab aliqua causa quæ esset extra illam collectionem, quod est falsum, quia supponimus esse collectionem omnium causarum, & sic nullam esse extra illam collectionem: Vel dependeret ab aliqua causa quæ esset intra illam latitudinem quod etiam verum esse nequit; alias totum dependeret adæquate ab aliqua sui parte. Vt Ergo tollatur ista contradictio, deveniendum est ad aliquam primam Causam à quà aliæ dependent, & hæc erit DEUS.

Dices ſi DEUS demonſtraretur, hoc eſſet per effe-ctus, ſed prima cauſa per effectus demonſtrari non poteſt, quia omnes ſunt improportionati vt pote finiti. ℞. n. minorem, probationem diſtingvo. Effectus ſunt improportionati, ut poſſint demonſtrare cauſam primam ſecundum omnem ſui perfectionem, Concedo ſi demonſtrent ipſius Exiſtentiam Nego. Inſtabis: ſi ex cognitione creaturarum poſſemus perduci ad cognitionem Creatoris, non eſſet nobis neceſſaria doctrina ſupernaturalis ℞. n ſequelam, Nam per doctrinam ſupernaturalem cognoſcimus DEUM vt Authorem gratiæ, per creaturas verò vt authorem naturæ. Et hunc eſſe neceſſario vnum, quia ſi plures eſſent rerum creatarum principes non poſſet ſervari Ordo Vniverſitatis, ſed omnia confuſa & perturbata forent cum unus quiſq; omnia ad ſuum traheret Arbitrium. Tum quià DEUM dicimus eſſe ſumme bonum ſumme perfectum &c. quo nil melius & perfectius excogitari poteſt, ſed ſi eſſent duo DII totidemq; ſumma bona, vnum alterum non eſſet atq; adeo mancum & defectuoſum eſſet, quia deeſſet illi ſummum bonum quod eſſet alter DEUS, à quo diverſus eſſet. Duo enim infinita repugnant.

IMMORTALITAS verò animæ demonſtratur. Nã evidenter impoſſibile eſt vt verum non ſit quod pro verò habent & ſemper habuerunt Sapientes & probi omnes omnium Nationum & omnium temporum, diſſentientibus ſolùm paucis & flagitioſis homulis, atqui animam hominis eſſe immortalem pro verò ſemper habuerunt Sapientes & probi omnes paucis Epicuris & Machiavellis carni immerſis contrarium ſomniantibus & vix eloqui auſis, Ergo evidenter impoſſibile eſt verum non eſſe quod anima hominis ſit immortalis: Natura enim non poteſt nobis tam Vniverſalem ſenſum, qui tamen falſus ſit, omnibus implantare

tare, alias censeretur DEUS nos decipere, & sequeretur DEUM omnibus probis & Sapientibus voluisse abscondere, veritatem aliquam maximi momenti, revelare autem paucis & sceleratis: Patet quoq; veritas ex ritibus & dogmatibus omniũ Nationum & populorum Christianorum Iudæorum Paganorum, & Gentilium qui omnes in hoc conspirant. Gentiles enim tot & tantos honores superstitiose defunctis exhibebant; quod de mortuis non nisi bene loquendum censebant; quod totis viribus perennem sibi gloriam & beatitudinem nunquam finiendam comparare conabantur. Conspirant antiqui Philosophi, Trismegistus, Socrates, Pythagoras Plato &c. Conspirant deniq; vel nolentes adversarij ipsi ab instinctu naturali & conscientia sua compulsi, quæ ipsi, nescio quæ mala post mortem innato præsagio minitatur. Edicant hi tales, vnde tantus ipsorum horror, tanta trepidatio in agone vel mortis periculo, quid timent, qui parem cum brutis exitum expectant? quare ita horrent Cadaver hominis mortui, non item cadaver equi vel bovis; Cur cum exuvijs hominis mortui pernoctare non audent! vel si audent, Cur ita reluctantem experiuntur naturam. Reliquæ rationes pro immortalitate animæ videantur in Philosophia. Dices. Si esset anima immortalis, nunquam homines mortem timerent. ℟. Timorem mortis in homine non oriri ex desperatione animæ de immortalitate sua, sed hic metus potius est ex parte Corporis, cui dissolutiò ab anima est valde noxia, vti violenta naturæ, Anima tamen Sancta cupit dissolvi & esse cum Christo quamvis sensus carnis recuset. Anima verò scelerata Athei timet supplicium æternum.

Præmium & pæna in altera vita jam facile demonstratur ex immortalitate animæ. Videmus enim quod multi homines in omni Copia rerum, vitijs indulgent

vsq;

vſq; in finem vitæ ſuæ, Multi in miſerijs & paupertate à vitijs abſtinent virtutibus ſtudent, in nullo præmiati tota vita ſua, certe ſi hi ſaltim in altera vita non reciperent pro præmiò aliquem ſtatum feliciorem, & illi non ſubirent pænam non videretur DEUS Sapienter mundum gubernare & diſponere. Ipſorum quoq; Ethnicorum vnanimis fuit Conſenſus de præmio bonorum & pæna malorum poſt mortem. Hinc vita hominis Athei Cultum Divinum aſpernantis, alteram vitam negantis, perpetuam cum recta ratione patitur luctam, nullum habet in DEI providentia ſolatium aut aſylum ad cujus præſidium in adverſis confugiat, omnium in hac vita incurrit opprobrium ac poſt mortem nullam alterius felicitatem expectat ſed ſupplicium. Dices. Difficile eſt captivare intellectum in obſequium Fidei & tam dificillimis credere rebus. ℟. Certe tu Athee ad difficiliora compellis aſſenſum tuum quamvis ea nullo ſenſu percipias, admittis enim ſeriem infinitam cauſarum, vt neges Cauſam primam; admittis Atomos occultas, ex quibus dicis omnia coaleſcere, quæ omnia nunquam vidiſti; Aſſeris animam hominis redigi in nihilum: aſſeris res fato & cauſa gubernari, vidiſti ne fatum? & tamen credis his: Cur ergo DEUM quem pariter non vides, ad quem te ducit prudens rationatio, conſenſus tot Gentium, credere refugis! Agnoſce ergo Creatorem tuum & illum adora.

Contra Mahometanos.

TUrciſmum ſeu Mahometiſmum eſſe Monſtrum quoddam horrendum, ex multiplici ſuperſtitione ac Hæreſi conflatum, ſiquidem à Iudæis habet Circumciſionem creberrima Baptiſmata, libellum repudij, horrorem carnis ſuillæ &c. *Ab Hæreticis Arianis*;

anis; Verbum non esse DEI Filium Patri Consubstantialem. *A Nestorianis*. Christum de Virgine quidem natum, non tamen DEUM sed purum hominem esse *a Manicheis*. Christum nec passum nec mortuum esse, & à vino perpetuò abstinendum. *Ab Epicuro*. Summam beatitudinem hominis in hortorum Amænitate, vxorum Multitudine Cibo & potu alijsq; Corporis voluptatibus positam esse. Insuper delirant Turcæ credentes quod DEUS post lautas Epulas alterius vitæ inter Virginum amplexus Mauris paratos, remoto velamine faciem suam illis ostensurus sit: postquàm verò faciem DEI viderint, abituri sunt in aliam Paradisi mansionem, ibiq́, per totam æternitatem mansuri cum pulcherrimis fæminis vt ex cibo & potu ac mulierum consortio æternas capiant delicias; Quibus tamen fruituros, dixit Machumetes, qui vel hostem occidissent, vel ab hostibus occisi fuissent, ut nimirum suos in bello fortes efficeret callidus impostor & cum ad confirmandam suam sectam nullum posset edere miraculum asservit se, in Virtute gladij missum divinitus vt legem tam Christianis quàm Iudæis datam mitioribus præceptis temperaret. Vnde ad instar Privilegiorum permisit suis fornicationem, libidinem vagam Aliaq; nefanda, item, perjurium assertorium, vindictas esse licitas privatas, prædationes Regnorum sine titulo. Christum tamen dicunt Magnum esse Prophetam Sanctum, nunquam peccasse, multa edidisse miracula, ascendisse in cælum &c. Insuper Machometes varias & ludicras habet insertas in suo Alcorano fabulas; Ne verò illius absurditates ad exactæ disquisitionis examen revocarentur de traditis suis dogmatibus & Præceptis disputari vetuit astutus nequam. Ab illo Turcæ Originem ducunt. Fuit autem Mahometes homo plebejus in Arabia natus ex Patre Pagano & matre Iudæa initio Idolorum

Cul-

Cultor, donec viduæ cujuſdam divitis camelos paſcens illam deniq; vxorem nactus eſt, cujus opibus potens effectus, varijs machinis, ad gentis ſuæ Regnum aſpiravit ſua verò dogmata ſpargere cepit ſub Annum 630. ſub Heraclio Imperatore negligenter regnante: Alcoranum librum novæ ſuæ doctrinæ compoſuit, quem ſibi à Gabriele Angelo per partes illatum fabulatus eſt, tandem à ſuis veneno Sublatus anno ætatis ſuæ quadrageſimo.

Ad confutandam itaq; illius Sectam varij modi ſubminiſtrantur, Primus modus aſſumendus eſt ex prima Parte operis de notis veræ Fidei & Eccleſiæ vndè innoteſcet fidem Mahometanam eſſe falſam prout & alias ſectas. Secundus modus ſumendus eſt ex ipſomet Mahomete qui in Alcorano Cap: 12. Chriſtum verum eſſe Meſſiam fatetur: Ergo Chriſti Religio fuit vera conſequenter Mahometi falſa. Ad quod reſpondent Mahometani: Sicut Chriſtus perfecit legem Moyſi, ita Mahomet perfecit legem Chriſti, propter quod ipſe Chriſtus promiſit mittendum poſt ſe Machomet illis verbis: *Alium Paraclitum* (ipſi dicunt Mahomet) mittam vobis. Sed quæro! Quomodo Mahomet legem Chriſti perfecit ſi omnia oppoſita legi Chriſti docuit. vg Circumciſionem & alia jam abrogata à Chriſto reſtituit, prohibita lege Chriſti indulſit. Tq. Sicut Vnus eſt DEUS ita vna debet eſſe fides, ſed Religio Machometi de toto eſt oppoſita Religioni Chriſti Ergo eſt falſa; approbat enim Religionem Chriſtianorum & ſimul Iudæorum valde diſparatas, Occidendos præcipit Iudæos, ſervanda decem DEI præcepta & tamen abuſum mulierum & peccata Contra Naturam permittit. Tertius modus ex eodem Mahomete: ſi vera fuit fides ejus cur de illa prohibuit ſuis controvertere, veritatem ejus divulgare, & eam cujuſq; oculis demonſtra-

re? sicut si quis habet verùm aureum, non refugit eum lydio comprobare lapide, alias suspectum redderet. Quartus modus est: Quærere ex Mahometano vtrum Credat Alcorano, vel non! si Credit; defacto Mahomet fatetur ibi Christum fuisse verùm Messiam, & legem Evangelij esse veram ducentem ad salutem Ergo eo ipso tenetur, quisq; Mahometanus credere Evangelio Christi, ex quo facile potest Convinci de tribus Personis Divinis, de Divinitate Messiæ & de alijs Fidei Mysterijs.

Cum pertinacibus, nec dantibus locum rationi & discursui, suadetur talis modus procedendi. Interroga illum: saltim credis vt credere teneris DEUM, & quod ille creavit te ad alteram vitam; quod tibi ille velit viam certam demonstrare ad illam consequendam, id est Fidem veram quàm necesse est esse vnam, sicut DEUS est vnus, sed jam ostendi tibi fidem tuam esse malam ad interitum ducentem, Christianam verò viam esse salutis, juxta testimonium ipsius Mahometis; itaq; peto à te, duo pro salute animæ tuæ facias: Primum vt viscerose postules à DEO quatenus tuæ voluntati ingerat desiderium suscipiendæ veræ fidei & huic desiderio adjungas curam specialiorem vitæ tuæ, abstinendo præsertim à peccatis carnalibus quæ lumen DEI impediunt. jungas Eleemosynas opera misericordiæ etiam Mahometanis. Secundum est, vt consideres prærogativam B V. Matris DEI, Nam ipsemet Mahometes Christo illam coæquat hisce verbis. *Nullus nascitur de filijs Adam, quem non tangat Sathan præter MARIAM & Filium ejus* Roges ergo illam internis suspirijs saltim vt illa oret DEUM pro lumine Fidei, & dabit Dominus benignitatem. Quod multa exempla testantur, sufficiat saltim vnum adducere, ex Concionatore Historico ad Annum 1514. de Ismeira

Filia

Filia Bassæ Cairi, quæ aufugiens ex suasu aliquorum Captivorum ad oras Italiæ penetravit cum desiderio Fidei Christianæ, & tandem Coram Imagine Beatissimæ V. perseverans, obtinuit feliciter sui desiderij effectum Baptismalem. Fidem Christi suscipiens.

Contra Iudæos.

JUdæi tria negant circa Christum. 1mô. Negant illum venisse & illius adventûs Negant tempus expirasse. 2dô. Negant illum debere esse DEUM, sed puram creaturam. 3tiô. Negant illum fuisse Messiam, quem nos suscepimus pro tali. Ostenditur quoq; illis pluralitas Personarum in Divinis.

Dico Christum in lege promissum jam defacto venisse. Prob: Gen: 49. dicitur. *Non auferetur sceptrum* (Scil/ Rex vel imperium) *de Iuda donec veniat qui mittendus est.* Dan: 9. *Adhuc me loquente in Oratione Ecce Vir Gabriel cito volans tetigit me in tempore Sacrificij vespertini, & docuit me dixitq; mihi : Daniel nunc egressus sum ut docerem te & intelligeres. Ab exordio precum tuarum egressus est sermo &c. Septuaginta Hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super Vrbem Sanctam tuam, ut consumetur prævaricatio & finem accipiat peccatum & deleatur iniquitas & adducatur justitia sempiterna & impleatur visio & prophetia & Vngatur Sanctus Sanctorum. Scito Ergo & animadverte, ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Ierusalem usq; ad Christum Ducem Hebdomades septem & Hebdomades Sexaginta duæ erunt, & rursum ædificabitur platea & muri in angustia temporum. Et post Hebdomades sexaginta duas occidetur Christus & non erit populus qui eum negaturus est, & Civitatem & Sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo & finis ejus vastitas & post finem*

finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis Hebdomada una & in dimidiò hebdomadis deficiet Hóstia & Sacrificium, & erit in Templo abominatiò desolationis & usq; ad consumationem & finem perseverabit desolatiò. Oranti Prophetæ promissa intra tempus certum hæc sunt: scil. Liberatio populi à Captivitate Babilonis, reædificatio Ierusalem, postea promissio Sancti Sanctorum scil: Messiæ, tandem destructio Templi & excidium. Cum itaq; Templum illud jam pridem à Romanis eversum sit, omnino debent faceri Iudæi tempus Adventus Messiæ jam expiraſſe. Hebdomada autem vna post quarum certum Numerum implenda erat promissio data Danieli ex sensu etiam Rabinorum capit Annos solares septem. A tempore Ergo quo Gabriel Nuntiavit Danieli, ad tempus quo Christus Baptizatus est, & Ductor populi proclamatus expirarunt prefatæ Hebdomadæ 69. Continentes Annos 483. Daniel verò mortuus est Anno à mundi exordio 3535. habens Annos vitæ suæ 110. Itt: Aggæi. 2. Quando post reditum ex Babilone Iudæi cum Zorobabel ædificabant secundo Templum D. duo ipsi promisit DEUS per Prophetam. 1mò. *Magna erit gloria ipsius, plusquam prima.* 2dò. *Veniet Desideratus Gentibus.* Scil. Messias & Malach. 3. *Veniet ad Templum S. suum Dominator Dominus.* Quæro itaq; quæ & quando ista gloria major istius secundæ Domus? longe enim inferiorem in structura fuisse ab illa per Salomonem ædificata certum est. Vnde cernens populus novum ædificium legitur flevisse Esdræ. 1. Itaq; gloria Domus istius secundæ, quàm DEUS pollicebatur majorem, consistebat in hoc, quod illa Domus habitura erat venientem Desideratum Gentibus. Ergo si jam destructa est, signum est quod habuerit Messiam, & sic elapsum est tempus adventus ejus, Tum quia tàm diu in

suo

ſuo vigore lex vetus cum ſuis ceremonialibus & Circū-ciſione duratura, erant quàmdiu non veniſſet Meſſias: Hæc enim inſtituta erant in Fide & Figura Meſſiæ, & exercebantur cum Ordine ad illum, nova autem inſtituenda erat à Meſſia juxta Ierem: 31. *Feriam Domui Iſrael & Domui Iuda fadus noVum, non ſecundum pactum quod pepigi cum Patribus eorum*; Vident autem Hæbrej legem Moyſis & Circumciſionis fædus toto Orbe abrogatum & Novam legem Evangelij Meſſiæ diſſeminari, Ergo jam venit Meſſias.

Hæbrej dicunt: Legem DEI veterem dici æternam Exod: 31. *Pactum eſt ſempiternum inter me & inter filios Veſtros* Leu. 23. *Legitimum ſempiternum*, Idem dicitur de Circumciſione Gen. 17. atq; hæc non ſunt abrogabilia per Meſſiam. ℟. Legem veterem quo ad mores, & præcepta naturæ ſpectantem non eſſe abrogabilem, ſed eam eſſe æternam, hanc Meſſias perficere non ſolvere venit; quo ad cæremoniale verò qualis eſt Circumciſio hæc non dicitur æterna niſi improprie prout æternum ſignificat diuturnum ſic ſumitur Ier: 2. *à Saeculo Confregiſti jugum*. Deut 15. de ſervo emptitio dicitur: *ſerVeet tibi in aeternum*. Ratiò autem Cur ſic intelligi debeat; Quia allegatæ à nobis Scripturæ ſupra oſtendunt ea deſitura. 2. Quia figura ceſſat poſito jam figurato, cæremoniæ autem erant figuræ Meſſiæ & inſtituendorum ab illo.

Inſtant Hæbræi. In Adventu Meſſiæ debet mons Domini elevari ſupra omnes colles Iſ: 2. Debent confluere omnes Gentes, gladius & bella ceſſare inter gentes Ier: 23. debent liberari Hæbrei à Captivitate: horum autem nil cernimus. ℟. Meſſiam eſſe non ad temporalià ſed ad Spiritualia comparanda populo bona & illis ſolis qui cum illo Legem ejus receperint, qui autem non receperint potius vltionem minatur Deut: 28. Confluxus etiam Gentium ad Meſ-

ſiam

ſiam ſat numeroſus præter obſtinatos & ab illo reprobatos. Exaltatio montis, pax, liberatio, impleta ſunt Spiritualiter per exaltationem Eccleſiæ Chriſti & reconciliationem plenam hominum cum DEO. Vniverſalem quoq; in Orbe pacem venturo Meſſiæ præluſiſſe, abunde acta Auguſti teſtantur. Fabulantur aliqui Iudæi non ceſſaſſe Regnum illorum ſed illud eſſe cum Rege hucuſq; ultra montes, Caſpios, ſed tranſitum dicunt illuc impoſſibilem ob Sabbativum fluvium, qui tota Hebdomada ingentes excitat procellas, tantùm die Sabbati ſedatur, Sabbatho autem lex vetat iter arripere. Hujus tamen vanæ fabulæ nullus Hiſtoricus meminit, Omnes Regiones circa Caſpios montes Turcæ obtinent, Sabbativus etiam Fluvius juxta Geographos non ex Caſpijs montibus ſed ex monte Apennino initiatur, & Samnites populos alluit ; deinde ſi nemo tranavit illum fluvium, vnde illis conſtat de veritate Regni.

Dico 2. Chriſtum Meſſiam eſſe verùm DEUM & hominem. Probatur Iſ. 7. *Ecce Virgo Concipiet & pariet Filium & vocabitur nomen ejus Emmanuel*. Lij Emmanuel ex Hæbreo Significat. Nobiſcum DEUS. Iſ 9. *Parvulus natus eſt Nobis & Filius datus eſt nobis &c. & vocabitur admirabilis Conſiliarius DEUS fortis, Pater futuri ſaculi, Princeps pacis*. Idem. cap: 45. *Aperiatur terra & germinet ſalvatorem*, Et inferius ſubdit: *Tu es DEUS abſconditus DES Iſraël Salvator*. Baruch 3. *Hic eſt DEUS noſter &c. Poſt hac in terris viſus eſt & cum hominibus converſatus*. Ratio etiam deſumitur ex fine ad quem promiſſus eſt Meſſias, non ad temporale Regnum Iudæis reſtituendum vel tollendam eorum ſervitutem, non ad temporales ejus delicias, divitias & honores populo Comparandos, ſed ad delendum peccatum ad gratiam & juſtitiam Comparandam, juxta Dan: 9.

Vt Consumetur prævaricatio & finem accipiat peccatum & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & Vngatur Sanctus Sanctorum. Hæc autem omnia præstare non potest nisi ille qui propriè sit DEUS; juxta Is: 43. *Ego sum qui deleo iniquitates*, Præterea Messiam esse salvatorem non corporum sed principaliter animarum juxta Ps. 71. *animas pauperum salvas facies.* Itē. Messiam esse salvatorem vniversalem, non solius tantum populi Iudæi Isa: 49. Vbi DEUS ait ad futurum Messiam; *Parum est ut sit mihi servus ad suscitandas Tribus Iacob & convertendas faces Israel. Dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usq; ad extremum terræ.*

Opponunt Rabbani. Finiti ad Infinitum nulla proportio vt sibi vniantur, sed DEUS est quid infinitum Homo est quid finitum Ergo Messias non potest esse simul DEUS & Homo. ℞. Certum est non posse esse inter DEUM & hominem proportionem geometricam & omnimodam, esse tamen proportionem habitudinis & Ordinabilitatis vnius ad aliud, sicut inter animam & Corpus non est proportio omnimoda secundum naturæ perfectiones, est tamen in Ordine ad vniendum sibi. Deinde, Christus qua homo non habet proprium suppositum sed est vnitus supposito Divino. De his fuse Theologi Speculativi; Sufficit nobis Scriptura citata Isa: 9. *Parvulus natus est Nobis & Ecce Virgo Concipiet.* Vbi dicuntur de ipso ea quæ sunt hominis, ut sunt, concipi nasci ex Virgine, & simul dicitur DEUS Isa: 7. *Butyrum & mel comedet*, id est ad instar aliorum infantium nutrietur cibis infantilibus, nempe corpus habebit non phantasticum sed naturale, quod alimentis qualia infantibus in Iudæa dantur, accrescet paulatim & roborabitur. Dices: Aliquando in Scriptura homines dicuntur Dij sic Moyses dictus est. *DEUS*

Pha-

Pharaonis, & in Pſ. 81. dicitur: *Ego dixi Dij eſtis*,
Ergo tantùm in hoc ſenſu Meſſias dici poteſt DEUS
non autem ſecundum naturam. ℞. Chriſtum Meſſi-
am eſſe verùm DEVM non nuncupativè ſed per na-
turam nàm de ſe ipſo teſtatur dicens. Ego & Pater
vnum ſumus; & Centurio clamavit, vere Filivs DEI
erat iſte.

Dico. Chriſtũ JESUM fuiſſe verũ Meſſiam.
Probatur. Quia quæcunq; prædicta ſunt à Prophetis
de futuro Meſſia, ea verificantur de Chriſto quod ſit
natus de Virgine Iſ: 7. *Ecce Virgo Concipiet*. Quod
ſit natus in Bethleem Mich: 5. *Et tu Bethleem terrâ
Iuda &c. Ex te egredietur, qui ſit Dominator in Iſraël*.
Quia tempore debito Hebdomadarum promiſſarum
apud Danielem. De illo quoq; Deut: 18 dicitur:
Prophetam ſuſcitabit tibi Dominus ipſum Audies.
Omnes enim alios excelluit in ſuis prædictionibus:
nullus tam luculenter prædixit Everſionem Templi,
Civitatis ſuamq; Mortem, reſurrectionem & innume-
rà Alia quàm ille. *Opponunt Hæbrei*. Fabulam eſſe
de Nativitate Chriſti de Virgine & de factis ejus. ℞.
Siquidem Prophetis & Hiſtoricis non credis. Quæ-
ro à te; Quando tuus Meſſias quem tu expectas ve-
niet & ut putas & tenere debes quod ex Virgine naſce-
tur facietq; Miracula: per quid probabis tuis poſte-
ris illius nativitatem non eſſe fabuloſam? Niſi per
Prophetas Hiſtorias & Monumenta Majorum: Cum
ergo tibi oſtenſus eſt adventus ejus tot documentis,
cur fabulam putes? ſed Accipe teſtimonium tui Hæ-
brei Hiſtorici Joſephi Primatis olim Populi Veſtri,
qui ſic ſcribit de Chriſto lib: 18. Antiq. *Eodem tem-
pore fuit IESUS Vir Sapiens; ſi tamen virum fas eſt
dicere: erat enim mirabilium Operum patrator & Do-
ctor eorum qui libenter vera ſuſcipiunt Chriſtus id eſt
Meſſias, hic erat quem accuſatum à noſtra Gentis Prin-*

cipibus, Pilatus cum addixisset Cruci, tamen non desiterunt eum diligere qui ab initio ceperunt, apparuit enim illis tertia die vivus.

Opponunt Hæbrei. IESVS non fuit verus Messias, quia illum Synagoga non acceptavit nec agnovit. ℞. Satis esse receptum & agnitum pro tali à præcipuis Synagogæ, à Seniculo Simeone, Nicodemo, Gamaliele Ioanne Baptista & alijs multis ex Sacerdotio Act 6. *Multa etiam turba Sacerdotum obediebat Fidei* Matt: 21. *Plurima turba straverunt vestimenta sua in via, clamabant dicentes Hosanna Filio David, Benedictus qui venit in Nomine Domini, Hosanna in altissimis.* Non receptio verò iniqua Synagogæ, comprobat illum magis esse Messiam ut pote prædicta ab Isa: 1. dicente: *Cognovit bos possessorem suum & Asinus præsepe Domini sui Isräel autem me non cognovit & populus meus non intellexit. Væ genti peccatrici populo gravi iniquitate semini nequàm filijs sceleratis dereliquerunt Dominũ, blasphemaverunt Sanctum Isräel.* Ps. 117. *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes hic factus est in Caput Anguli* Zacharias cap: 12. prodicebat à Iudeis occidendum. *Aspicient ad me quem confixerunt.* Isaias quoq; cap: 53. *Non est species ei neq; decor, vidimus eum & non erat ei aspectus & desideravimus eum. Despectum & novissimum virorum Vere languores nostros ipse tulit & dolores nostros ipse portavit Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras & attritus procter scelera nostra Quasi Ovis ad Occisionem ducetur. Pro eo quod laboravit anima ejus videbit & saturabitur, in scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos & iniquitates eorum ipse portavit. Ideo dispertiam ei plurimos & fortium dividet spolia pro eo quod tradidit in mortem animam suam & cum sceleratis reputatus est & ipse peccata multorum tulit & pro transgressoribus rogavit.*

Oppo-

Opponunt 2dô. Hæbrei. Christus abrogavit legem æternam à DEO Conditam tulit enim legem quæ Sabbathum violat Ergo non est verus Messias. ℟. Illum fuisse cum plenitudine potestatis, abstulit quidem aliquas partes accidentales legis veteris in testimonium adventatæ veritatis; Nihil enim valet figura cum ponitur ipsum figuratum: Sabbatum quoq; non abrogavit, sed tale tempus destinavit per Apostolos in diem Dominicum, Quatenus autem lex vetus determinabat ad hoc diem septimū id est Sabbathum, fuit præceptum ceremontale & potuit à Messia immutari in melius; vndè in memoriam illius Resurrectionis quæ in diem Octavum inciderat dies Dominicus designatus est. Sabbathum verò veneramur per Iejunium in memoriam sepulturæ Christi.

Opponunt. 3tiô. Quia vester IESVS venit abjectus & humilis sine omni Majestate, non induxit pacem vniversalem in Orbem, non reformavit Regnum Isräël quod debuit præstare juxta prædictionem Prophetarum; & potius dispersit non Congregavit Isräëlem quod promiserat Ps. 146. *Dispersiones Isräëlis Congregabit.* ℟. Christus Majestatem cum humilitate conjunxit prout ipse de se dixit Matt: 21. *Dicite filia Sion; Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus sedens super asinam:* Pastoribus annuntiata est illius gloriosa Nativitas per Concentum Angelorum glorificata, Tres Reges Stella duce adorarunt Majestatem cum muneribus juxta Ps: 71. *Reges Tharsis & Insulæ munera offerent & adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes servient ei, quia liberabit pauperem à potente &c.* Per humilitatem autem in Crucis arbore superavit potentem & superbum diabolum qui per fructum arboris primos deceperat Parentes. Congregavit quoq; Christus Isräëlitas non carnales sed in Spiritu ambulantes qui Fidei Isräël & justitiæ ejus ve-

veri erant Sectatores. Quod autem disperserit reliquos tanquam canaliam; fecit pro Officio Messiæ juxta Isa: 7. *Vt sciat reprobare malum & eligere bonum* & Dan: 9. *Civitatem & Sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo.* Pacem in super induxit vniversalem juxta Is. 11. *Habitabit lupus cum Agno* (vg. Saulus cum Anania) *pardus cum hædo, leo cum ove, ursus cum vitulo*, (Id est homines ante feroces, rapaces superbi varijs erroribus ac vitijs irretiti simul in eadem Christi Ecclesia quietè versabuntur cum justis humilibus simplicibus; summa erit inter omnes concordia pax & fidelitas & quæ ex illis emanat rerum omnium abundantia & felicitas) *Et puer parvulus minabit eos* (nempe subordinationem & obedientiam præstabunt omnes suo Prælato & Pastori etiam ignobili simplici & imperfecto) *Leo quasi bos paleas comedet*, (id est superbi ante & arrogantes etiam Principes induent mores, & cibo victitabunt tum corporali tum Spirituali vulgarium humilium pauperum Christianorum) *Infans ab ubere* (Matris vix depulsus) *delectabitur super foramine aspidis* (nihil ejus congressum exhorrescens sed ludibundus etiam in antrum ejus fidenter manum immittens. (Id est recenter ad Christum conversi etiam adolescentuli & pueri, libere agent cum Idololatris Hæreticis Tyrannis, intrepidè cum illis congredientes, Fidem palam Annuntiantes, mortem pro illa & Martyrium ambientes, & quidem initio nocebunt eis tyranni Martyrizando eos, sed paulatim illorum mansuetudine edocti & cicurati relicta infidelitate ad Christum convertentur. Induxit Ergo Christus pacem hominibus cum DEO quam Angeli promulgarunt canendo in ejus Nativitate: *Gloria in Altissimis DEO & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Non est verè pax impijs. Ipsa quoq; tam diuturna Captivitas Judæorum & dispersio est

mani-

manifestum Argumentum quod Christus fuerit verus Messias; hanc enim inflictam pænam, hæc gens maledicta pro occisione Messiæ sustinet: Omnes quippe Captivitates non erant diuturniores quàm 70. Annorum, hæc extrema jam 1700. durat, Annis & durabit in finem mundi. Audiant suos Rabbinos apud Boverium. Vbi Rabbi samuel Ep ad Rab: Isaac C. 26. sic habet. *Pavco Domine mi quod nos Apostatavimus à DEO in primo Adventu Iusti* (Scil. Messiæ) *Cui omnia conveniunt, quæ Scripta sunt apud nos in Libris Legis & Prophetarum propter quàm Apostaziam DEUS sic protendit in longitudinem dierum captivitatem nobis.* Et Cap: 19 Illud Zachariæ, *Percutoam Pastorem & dispergentur Oves gregis: Completum est, quando nos percussimus Pastorem istorum puerorum & SS. Apostolorum & tunc Nos Oves dispersisti: Quod apparet ex hoc quod Nobis DEUS post illos non misit Prophetam.* Hucusq; verba Hæbrei. Deinde Quia Fides & doctrina Christi sine armis inter tot persecutiones tam Iudæorum quàm Æthnicorum brevi tempore à pauperibus & simplicibus Piscatoribus per totum Orbem dilatata est; & licet plurima contraria Carni & sensualitati habeat. tamen à tot Regibus Principibus Sapientissimisq; fuit recepta vt pote miraculis à DEO roborata, ad comprobandum quod Christus fuit verus Messias. Et cum negent illum esse Filium DEI quasi in DEO non essent Personæ, ideo.

Dico. In DEO plures esse Personas.

Prob: Quia DEUS est infinitus in operando principaliter, quo ad intra, nunquid Ergo non exercebit Operationem infinitam, scilicet infinitum quid producendo intra se; hoc est Personas Divinas! est DEUS beatissimus & infinitæ bonitatis; nunquid non erit infinite sui Communicativus: Est infinitæ potentiæ, quæ dat etiam creatis potentiam generativam alterius

juxta dictum Isa. 66. Nunquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam dicit Dominus? Si ego qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero? Itē: Genesis. 1 dixit DEVS; Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram Gen: 11. Descendamus & Confundamus eos; Non obstante quod dicant Iudæi; Id more Principum dici ob Authoritatem exprimendam. Nam certè voluit Authoritatem suam exprimere DEVS loquendo Moysi in singulari. *Ego sum qui sum.* Alij dicunt illa dicta esse ad Angelos exhortando eos ut concurrant ad creationem hominis, sed hoc falsum est: Tq Scriptura hæc: *Faciamus*, ad illa dirigebatur Supposita, ad quorum similitudinem fieri debebat creatura; esse autem hominem ad similitudinem DEI non verò Angelorum testatur citata Scriptura. Itē: Genesis 18. dicitur apparuisse DEVS Abrahæ; *Apparuerunt ei tres Viri.* Itē: Deut: 6. *Audi Isràël: Dominus DEUS noster Dominus unus est.* In Hæbreo legitur pro illo; Dominus. *Tetragrammaton*: per quod apud Hæbreos designatur vnitas Essentiæ; trina verò repetitio in Psalmo 66. *Benedicat nos DEUS DEUS Noster, benedicat Nos DEUS*, Trinitatem Personarum insinuat Itē: Is: 6. ter cantatur. *Sanctus Sanctus Sanctus.* Antiquorum quoq; Rabbinorum producit Boverius plura testimonia, vnum hic pono famosissimi Rabbini Haccados ex lib: qui inscribitur: *Revelatio Secretorū ad Antonium Consulem*, in quo dicit: per *Iehova* ipsum DEVM generantem significare: non potest autem esse generans absq; generato; Deinde amor necessario à Generante in Generatum procedere debet; estq; Pater Filius, & Spiritus Sanctus; & quia non invenitur nec inveniri potest aliquid in DEO quod non sit DEVS; (Concludit iste Sapiens Rabbinus) quemlibet tam scilicet Generatum quàm Generantem ac

Amo-

Amorem esse DEVM Trismegistus quoq; dicit Monas genuit Monadem & in se suum reflexit Ardorem.

Dicunt: Hæbrei Repugnare rationi vt Idem sit simul, vnum & trinum. ℞. Non esse in DEO idem trinum & vnum, sed vnitas Competit essentiæ Divinæ, Trinitas verò Personis eandem Divinitatem habentibus, non est ergo hoc contra rationem sed supra rationem Id est supra captum nostrum.

Boverius multas Talmudicas Iudæorum refecit fabulas superstitiosas & blasphemas. vg. licitum esse Iudæo interficere meliorem Christianum; Coitus nefandos permittit Talmud. lib: *Calla & Nedarim*. Filijs permittit verberare Parentes, modò vulnus non appareat cum effusione Sangvinis: Abraham vocat Magum & præstigiatorem; Iosephum lascivum; & multa alia de Moyse, Davide, Salomone &c. Confingunt; Imo de ipso DEO ineptissima & nefaria opinantur. Scil. Quod DEVS attactu morticinorum, quæ vt Sacerdos immolat immundus fiat sed statim balneum ingressus expietur. Quod DEVS mendacium protulerit Gen: 18. narrando Abrahæ risisse Saram, conticendo autem quod vetulum virum appellaverit propter conservandam pacem matrimonialem. Quod DEVS peccaverit in Lunam creando illam inferiorem sole in claritate; Ita Talmud tract: Hullim. Quod DEVS tribus horis diei studeat Talmud, alijs tribus instruat in lege infantes præcociter mortuos, alijs tribus mundum judicat, reliquis tribus cum pisce Leviatan ludit: hunc piscem grandem esse dicunt cujus fæminam DEVS occidit ne totum occupet mundum, carnesq; ejus salsas reservat pro Convivio Iudæis parando per Messiam, ex cujus folliculo fellis tabernaculum habebit Messias. Dicunt Itt. quotidie DEVM geminas lachrymas in Oceanum fundere, deflendo captivitatem Iudæorum, quæ illi Fulgores appel-

appellant, qui cadere de Cælo cernuntur suntq; in re incensæ exhalationes. Itt: DEVM Firmamentum non perfecisse, sed foramen reliquisse, vt si quis DEVM se diceret, illud perficiat. Item: Quotidie DEVM super Cherubim equitare vt 18. Millia mundorum quos condidit perlustret. Hæ & aliæ fatuitates seipsis corruunt vnde indignæ censentur refutatione.

Contra Schisma Græcorum.

NOstri Sæculi Schismaticos potius dicendos esse hæreticos, vt pote quia nedum inobedientes Ecclesiæ Romanæ, sed etiam pertinaciter negantes nonnullos Articulos Fidei. 1mô. Processionem Spiritus Sancti à Filio, asserentes illam esse à solo Patre. 2dô. Negant Romanum Pontificem esse supremæ Authoritatis & Caput totius Ecclesiæ. 3tiô. Imagines sculptas non admittunt sed tantùm pictas. 4tô Rebaptizant baptizatos à Latinis. Nonnulli autem cum Calvino & Luthero asserunt. Præceptum esse omnibus Fidelibus in vtraq; specie communicare, & dicunt esse novitatem excogitatam à modernis Romanis Catholicis.

Dicò. Spiritum S. nedum à Patre sed etiam à Filio procedere. Prob: Ioan: 15. Christus dicit. *Cum venerit Paraclitus quem ego mittam vobis à Patre* Itt: cap: 16. *Si autem abiero mittam eum ad vos.* Sed nulla Persona dicitur mitti ab alia nisi à qua procedit, Ergo signum est quod Spiritus S procedat etiam à Filio. Itt: Ibid: Christus ait. *Ille me clarificabit quia de meo accipiet*, sed nihil potest accipere Spiritus S. à Filio & de Filio nisi esse Divinum prout defacto accepit abæterno Ergo &c. Itt: Ps. 35. dicitur. *Apud te est fons vitæ & in lumine tuo videbimus lumen.* In quæ verba D. Ath:

lib: de Hum: Nat: ait. *Noverat enim apud Patrem Filium esse fontem Spiritus Sancti.* Itt. S. Cyril. Alex lib: de Ador in Spir. & ver. sic dicit. *Spiritus S. est DEI Patris & Filij ille qui substantialiter ex ambobus* nimirum ex Patre per Filium procedit. Similiter docent D. Basilius Chrisost. & alij Patres Græci. Confirmatur ratione Theologica. Ideò Filius & Spiritus S. concurrunt ad productionem mundi cum Patre quia habent potentiam productivam cum illo, antequam mundus intelligatur produci, Ergo propter eandem rationem Filius concurrit ad productionem Spiritus Sancti, quia habet voluntatem productivam antequam Spiritus S. intelligatur productus Pater enim in primo signo Originis generans Filium, communicat illi suam essentiam, suum intellectum & Voluntatem eo modo quo erant in tali instanti sed in illo intellectus erat exhaustus per productionem Filij antea factam, & voluntas erat adhuc fæcunda, quia nondum habebat terminum suum; Ergo quando in sequenti signo Pater produxit Spiritum S. debuit cum illo producere Filius qui habebat eandem voluntatem fæcundam cum Patre: Vnde dicuntur *duo Spirantes*: quia duæ Personæ spirant tertiam; vnus verò dicitur *Spirator* quia per vnam vterq; spirant voluntatem.

Concilia prima Nicænum & Constantinopolitanum nihil de hoc habent, quia nulla erat illo tempore Controversia super hoc: sed dum suborirentur errores circa processionem Spiritus Sancti egerunt contra illos etiam Orientalia Concilia & sic in Concil: Ephesino, Chalcedonensi. Constantinop. II. & III. fuit approbata Epistola Cyrilli contra Nestorium in qua sunt Verba S. Doctoris: *Spiritus Apellatus est Veritatis & Veritas Christus est unde ab ipso sicut & à Patre procedit.* Postea idem fuit clare definitum

in

in Concilio Lateran: 1283. Lugdun. An: 1224. præsentibus mille Patribus Orientalibus, tandem in Concilio Florentino præsente Paleologo Græcorum Imperatore in quo plurimum laboravit Seraphicus Ordo præeunte sibi S. Bonaventura.

Græci negant Concilium Florentinum fuisse legitimum, quia addidit Symbolo Nicæno ly. *Filioq;* Contra Concilij Ephesini Canonem cap: 7. Vbi prohibet alteram Fidem proferre, scribere, exponere, præter eam quæ fuit definita in Concilio Nicæno. ℞. Ergo & ipsum Concilium Constantinopolitanum. I. etiam apud Schismaticos receptum non deberet valere quia addidit Symbolo Nicæno verba hæc: *Qui à Patre procedit*; Similiter & Chalcedonense, quod etiam multo plura superaddidit Symbolo Nicæno. Imò Schismatici seipsos damnant qui plerumq; Fidei suæ superaddunt: *per Filium*: quod etiam non est in Concilio Nicæno. Itaq; Concilium Florentinum prohibet superaddere Symbolo Nicæno tale quid, quod esset Contrarium ipsi, non autem quod esset magis explicativum Articulorum Fidei, hoc enim facere potest Ecclesia pro diversa temporum existentia & suborientium Hæresum, ratione suæ infallibilitatis, quæ contra errores quosq; tenetur providere Ovibus suis. Et sic fecit ipsamet Synodus Nicæna contra Novos errores Sectariorum, apponendo terminum *Homousiows* qui in lege vel Evangelio non legitur.

Vrgent Græci: Patres Orientales admittunt per Filium tantùm Processionem Spiritus Sancti sed non ex Filio. ℞. Ibidem esse Authoritates Patrum docentium Spiritum S. esse ex Filio; vt Athan. Chrisost. &c. Vel etiam unum pro alio vsurpant: Nam Cyril: Alex: de recta Fide ad Reginas ait: *Procedit autem per utrosq; Spiritus Vivificans.* Ergo tam Patri quàm Filio virtutem tribuunt Spirativam. Tq.

Quan-

Quando dicitur in Evangelio de Filio: *Omnia per ipsum facta sunt*; Significat quod à Filio facta sunt, pro eodem etiam sumimus dicendo: *DEUS est per se bonus*; *DEUS est ex se bonus*. Deniq; licet Patres aliqui non innuant quod Spiritus S. procedat à Filio sed à Patre, Non sunt tamen Nobis Contrarij quia non dicunt: *à Solo Patre*. Divus Damascenus ponit in Divinis aliquam distinctionem in ratione Principij à quo procedit Spiritus S. quod juxta Græcos vocatur Anarchicon quod significat Authorem seu quid tale quod absolute à Nullo alio quasi dependet & hoc convenit Soli Patri: Vnde ad distinctionem aliquam in materia processionis Spiritus Sancti dicebant Patres Græci Spiritum S procedere ex Patre, non autem ex Filio, sed per Filium: non ut negarent absolute Filio vim productivam Spiritus Sancti, sed ut Ostenderent Filium non esse principium primum in divinis, ita, sicut est Pater: Pater enim est à nemine, Filius verò à Patre: Hinc discrimen usurpatum apud Græcos fuit enunciandæ processionis in divinis per terminos hos. *Ex* & *Ab*. & in hoc sensu dicit S. Damascenus: Spiritus non habet ex Filio ut subsistat, nam *ex* Significat apud ipsum, Authorem Processionum Divinarum. Quod tamen alio modo habet à Filio ut subsistat Spiritus Sanctus.

Dicò. Romanum Pontificem esse Caput Orientalis Ecclesiæ. Probat. Quia est Caput totiùs Ecclesiæ sed Orientalis Ecclesia habet se per modùm partis ad Totum Ergo &c. Prob: 2dò Authoritate Patrum Orientalium. Nam S. Basilius Epist. 69. & 70. Damaso Papæ scribit: Vnius Corporis membra sumus, Ergo S. Pater se & alios dixit membra Damasum autem fuisse Caput. S. Cyril. Alexan. in Thesauro. Debemus nos qui membra sumus Capiti nostro Romano Pontifici & sedi Apostolicæ Adhærere. Con-

sili-

cilium Calcedonense, Quod Græci ut Sacrosanctũ venerantur in quo 600 Patres fuerunt congregati; sic votavit Rom. Pontifici Act. 1. Beatissimi atq; Apostolici Viri Papæ Vrbis Romanæ quæ est caput Omnium Ecclesiarum præcepta habemus.

Græci dicunt. Hæc testimonia solùm probant Primatum Papæ quo ad Ordinem & dignitatem Sedis, non verò quò ad potestatem, authoritatem & jurisdictionem. ℞. Vtiq; Patres in Filios Caput in membra nedum habent dignitatem sed & potestatem. Itt. Iudicare, præcepta dare sunt Authoritatis & Iurisdictionis hæc autem Concilium Chalcedonense asseruit de Leone. Reliquæ verò objectiones sunt Hæreticorum.

Vrgent Græci. Romana Ecclesia induxit Jejuniũ Sabbativum contra Canonem Apostolorum, immutavit Calendarium & diem Paschatis multasq; induxit novitates, Ergo non est illi præstanda obedientia. ℞. Hæc omnia in quibus videtur immutasse aliquid Ecclesia non fuisse Iuris Divini sed humani: Id enim ad illam sedem tanquam ad Matrem Vniversalem spectat pro Exigentia temporum, & taliter instituit Jejunium in memoriam sepulturæ Christi, & vt manifestius pateret Iudæis quod Christiani non Sabbatizando sed jejunando Iudaismi ceremonias aboleri faciant: sicut ex eadem causa fecit Ecclesia, Celebrando Pascha Dominica sequenti post plenilunium, quamvis Christus cum Apostolis & forte Primitiva Ecclesia celebravit illud in ipso plenilunio. Deinde si præceptum de non jejunando Sabbato esset strictum Apostolicum, & anathema illud jejunanti; sequeretur quod S. Basilius M. suis Monachis ordinans perpetuum jejunium & tot Anachoretæ ad mortem jejunantes peccarent.

Obiciunt dicentes: Quia in sua Græca Ecclesia habentur Imagines miraculosæ & Corpora incorrupta antiquorum Græcorum quæ in Cryptis Kijoviensibus

bus quiescunt adeoq; fidem suam non reprobandam.
R. Quantum ad Imagines & Miracula si hactenus fiunt (si non sint conficta ab illorum rudibus Peponibus) ea non tribui Fidei ipsorum sed potius Clementiæ B. V. MARIÆ quæ propitia esse legitur etiam Gentilibus ad suas Imagines confugientibus, vt tot Historiæ etiam Græcorum testantur; Quid Ergo mirandum si aliquando flectatur ad preces Schismaticorum, qui plerumq; sunt tantùm materiales, & ob defectum doctrinæ non credentes, aliàs tamen parati credere, si instruerentur. Quo ad Corpora incorrupta Kijoviensium Cryptarum quamvis & ibi multa sunt valde suspecta, si quæ sunt adhuc incorrupta, illa esse Græcorum & Anachoretarum, antea unitorum Romanæ Ecclesiæ. Primi enim qui ex Monasterio Studitano Constantinopoli in has partes venerant fuerunt, qui recesserunt à Photio Schismatico & adhæserant verò Patriarchæ Ignatio; Imò tota Russia à S. Cyrillo & Methodio qui primi Romam visitarunt pro obtinenda benedictione Papæ fuit conversa ad veram Fidem Romanam eamq; tenuit ad Annum Dom: 1300. & postea per Commissarios pestiferos Patriarcharum Constantinopolitanorum Schismatiorum cepit irrepere Schisma; Cæterum tamen adhuc Anno Dom. 1595. Metropolita Kijoviensis fuit in vnione cum Ecclesia Romana: Nam Michaël Rachoza Metropol. Kijoviensis cum septem alijs Russiæ Episcopis Clementi VIII. per suos Oratores Pociejum & Terlecki obedientiam obtulit & jurisdictionem Romani Pontificis Agnovit.

Quantum ad Imagines; quamvis Græci admittant pictas, sculptas tamen plerumq; negant. Ijsdem rationibus probatur cultus sculptarum ac pictarum Imaginum Nam Cherubini erant sculpti, Arca ligno fabrefacta, serpens ære fusus & ex mandato DEI fuerunt

erunt venerationi hæc expoſita. Imò ipſi Græci ligneas Cruces venerantur & colunt. Nec obſtat illud Exodi 20. Non facies tibi ſculptile neque omnem ſimilitudinem &c. Nam hoc loco tantùm prohibetur adorandum illud more Gentilium cultu latriæ; imò ipſe Græcus Baſil-ta non refugit picturam quæ eſt ſimilitudo Imò & ipſam ſculpturam.

Vltimo tandem de rebaptizantibus, error refellitur. Quia Concilium Rom: ſub Melchiade & Florentinum, Cui ſubſcripſerunt Græci, & Cui interfuit Imperator Orientis Palæologus Anathematizavit rebaptizantes. Per Baptiſmum enim naſcitur homo, Ergo ſicut Nativitas Corporis non poteſt iterari, ita nec Baptiſmus qui eſt ad delendum Originale quod ſemel deletum nunquam redit, ut quid Ergo alter Baptiſmus. De nullitate Præcepti Communionis ſub utraq; ſpecie actum eſt Parte 2dâ.

Adde Græcorum Hæreſim eſſe, quod contendant Euchariſtiam conficiendam eſſe in pane fermentato, & Chriſtum in ultima cæna ita confeciſſe, ideoq; docent apud Latinos qui celebrant in azymo, Sacramentum eſſe invalidum. At contra: Eccleſia Romana docet celebrandum eſſe in azymo, quamvis nolit eſſe Sacramentum invalidum, cum conficiatur in fermentato, cum utrq; panis in eadem ſpecie conveniant; Conſtat autem Chriſtum celebraſſe in pane azymo ex Matt 26. Prima autem Die Azymorum acceſſerunt Diſcipuli ad IESUM: Vbi vis paremus tibi comedere Paſcha? cum ergo in diebus Azymorum apud Iudæos grave flagitium fuerit uti fermentato, manifeſtum eſt, Chriſtum more cæterorum voluiſſe celebrare, qui non venit legem ſolvere ſed adimplere. Nota & hoc: Lutheri & Calvini aſſeclas inſigni nequitia hominibus alludere, dum audent jactare ſuam Religionem omni tempore ab Eccleſia Græca quæ am-

plis-

plissima est agnitam & approbatam fuisse. Vtiq; Græci ad Annum Domini circiter 869. cum Ecclesia Romana semper conjuncti erant, quo tempore nil de Religione Lutherana vel Calviniana somniare potuerunt. Tum quia satis constat etiam hoc ævo, & ab ortu Lutheri ac Calvini, nunquam hos à Græcis pro Fratribus agnitos fuisse, imo in suis scriptis horum errores acriter oppugnasse. Tq. Ecclesia Græca quamvis Schismatica, in pluribus tamen articulis conquamvis cum Romana consentit: Adtra modernos Hæreticos cum Romana consentit: Admittunt enim Græci septem Sacramenta, Missæ Sacrificium retinent; In Sacramento Eucharistiæ veram realemq; Christi præsentiam sine substantia panis omnino agnoscunt. Confessionem Sacramentalem in usu habent, pro Defunctis orant; Iejunium Quadragesimale accuratè observant. Quænam igitur potest esse nostris Sectarijs, qui hæc omnia condemnat, cum Græcis concordia? Misera certe eorum conditio, Matrem suam Romanam Ecclesiam deseruerunt, nec ullibi terrarum Fratres inveniunt.

Post expunctos Vniversales & Manifestos errores, necesse est particulares latentes & evidentes in Propositionibus damnatis investigare.

Propositiones Iansenij Ep: Ipren: ab Innocentio X. damnatæ Anno Domini 1653.

I. ALiqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus secundum præsentes, quas habent vires sunt impossibilia, deest quoq; illis gratia qua possibilia fiant. * 2dâ. Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur. * 3tiâ. Ad

Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas è necessitate, sed sufficit libertas a coactione. * 4tâ. Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei & in hoc erant Hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare * 5tâ. Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino mortuum esse hominibus, aut sangvinem fudisse.

Propositiones damnatæ ab Alexandro VII. Anno Domini 1665.

1. HOmo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei & Charitatis, ex vi præceptorum Divinorum ad præfatas virtutes pertinentium. * 2dâ. Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat. * 3tiâ. Sententia asserens bullam cænæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, id non derogare facultati Trid: in qua de Occultis criminibus sermo est, Anno 1629. 28. Iulij. in Consistorio Sacræ Congreg: Eminentis: Cardinalium visa & tolerata est. * 4ta. Prælati Regulares possunt in foro Conscientiæ absolvere quoscunq; sæculares ab Hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa. * 5tâ. Quamvis evidenter, tibi constet Petrum esse Hæreticum, non teneris denuntiare, si probare non possis. * 6tâ. Confessarius qui in Sacramentali Confessione tribuit pænitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur Sollicitasse in Confessione, ac proinde non est denunciandus. * 7mâ. Modus evadendi obligationem denun-

denuntiandæ Sollicitationis est, si Sollicitatus confiteatur Sollicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi. ✱ 8va. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando potenti partem etiam specialissimam fructus, ipsimet celebranti correspondentem, idq; post Decretū Vrbani VIII. ✱ 9nâ. Post Decretū Vrbani potest Sacerdos, cuj Missæ celebrandæ traduntur per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendij sibi retenta. ✱ 10mâ. Non est contra Iustitiam pro pluribus Sacrificijs stipendium, accipere & Sacrificiū unū offerre, neque etiam est contra fidelitatem, etiam si promittam promissione etiam juramento firmata, danti stipendium quod pro nullo alio offeram. ✱ 11mâ Peccata in confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere. ✱ 12mâ Mendicantes possunt absolvere â casibus Episcopo reservatis, non obtenta ad id Episcopi facultate. ✱ 13tiâ. Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato. ✱ 14tâ. Qui facit Confessionem voluntariè nullam satisfacit præcepto Ecclesiæ. ✱ 15tâ. Pænitens propria authoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pænitentiam adimpleat. ✱ 16tâ. Qui beneficium Curatum habent possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario. ✱ 17mâ. Est licitum Religioso vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publicè & coram gravissimis Viris prædicta impingere, nisi occidatur. ✱ 18vâ. Licet

interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Iudicem â quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare: ★ 19nâ. Non peccat Maritus occidendo propria authoritate uxorem in adulterio deprehensam. ★ 20mâ. Restitutio à Pio V. imposita beneficiatis non recitantibus non debetur in Conscientia ante sententiam declaratoriam Iudicis, eò quod sit pæna. ★ 20mâ. Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium Ecclesiasticum, si studio literarum vacat, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet. ★ 22dâ Non est contra justitiam beneficia non conferre gratis, quia Collator conferens illa beneficia Ecclesiastica pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficij, sed veluti pro emolumento temporali quod sibi conferre non tenebatur. ★ 23tiâ. Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu vel inobedientia id faciat, puta quia non vult se subijcere præcepto. ★ 24tâ. Mollities, Sodomia & bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoq; sufficit dicere in Confessione se procurasse pollutionem. ★ 25tâ. Qui habuit Copulam cum soluta satisfacit Confessionis præcepto, dicens: commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam. ★ 26tâ. Quando litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles, potest Iudex pecuniam accipere pro ferenda Sententia in favorem unius præ alio. ★ 27mâ. Si Liber sit alicujus junioris & moderni, debet opinio censeri probabilis dum non constet rejectam esse à Sede Apostolica, tanquam improbabilem. ★ 28vâ. Populus non peccat etiamsi absque ulla causa non recipiat legem â Principe promulgatam. ★ 29nâ. In die jejunij qui sæpius quid modicum comedit, & si notabilem quantitatem in fine

come-

comederit, non frangit jejunium. * 30mâ. Omnes Officiales qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunij, nec debent se certificare an labor sit compatibilis cum jejunio. * 31mâ. Excusantur absolutè à præcepto jejunij omnes illi, qui iter agunt equitando, utcunque iter agant, etiam si iter necessarium non sit, & etiam iter unius diei conficiant. * 32dâ. Non est evidens quod Consvetudo non comedendi ova & lacticinia in quadragesima obliget. * 33tiâ. Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quas cunque Eleemosinas, quas antea beneficiarius de fructibus sui beneficij fecerit * 34tâ. In die Palmarum recitans officium Paschale, Satisfacit præcepto. * 35tâ. Unico Officio potest quis satisfacere dupli-ci præcepto pro die præsenti, & crastino * 36tâ. Regulares possunt in foro Conscientiæ uti privilegijs suis, quæ sunt expresse revocata per Concilium Trid: * 37mâ. Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodie sunt revalidatæ. * 38vâ. Mandatum Tridentini factum Sacerdoti Sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quàm primum est Consilium non præceptum. * 39nâ. Illa particula. *Quam primum* intelligitur cum Sacerdos suo tempore confitebitur. * 40mâ. Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantùm veniale, osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris; & pollutionis. * 41mâ. Non est obligandus Concubinarius ad eijciendam Concubinam si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum Concubinarij vulgo Regalo, dum deficiente illâ nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno Concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficilè inveniretur. * 42dâ. Licitum est mutuanti aliquid ultra

 sor-

fortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus. * 43tiâ. Annuum legatum pro anima relictum, non durat plus quàm per decem annos. * 44tâ. Quo ad forum conscientiæ reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ. * 45tâ. Libri prohibiti, donec expurgentur possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur.

Propositiones damnatæ ab Innocentio XI. Ano Domini 1679.

I. NON est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantùm ut nedum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis. * 2dâ. Probabiliter existimo Iudicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem. * 3tiâ. Generatim dum probabilitate, sive intrinseca sive extrinseca quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confisi, aliquid agimus, semper prudenter agimus. * 4tâ. Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minus probabili. * 5tâ. An peccet mortaliter qui actum dilectionis DEI semel tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus. * 6tâ. Probabile est, ne singulis quidem rigorosè quinquennis per se obligare præceptum charitatis erga DEUM. * 7mâ Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, quâ justificari possumus. * 8vâ. Comedere & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modò non obsit valetudini, quia licite potest appetitus

natu-

naturalis suis actibus frui. ✱ 9na. Opus Conjugij ob solam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpâ, ac defectu veniali. ✱ 10mâ. Non tenemur proximum diligere actu interno & formali. ✱ 11mâ. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos. ✱ 12dâ. Vix in sæcularibus invenies, etiam in Regibus superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad Eleemosynam, quando tenetur tantùm ex superfluo statui. ✱ 13tiâ Si cum debita moderatione facias, potes absq; peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare, non quidem ex displicentia Personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum. ✱ 14tâ. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pingvis hæreditas ✱ 15tâ. Licitum est Filio gaudere de Patricidio Parentis à se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas. ✱ 16tâ. Fides non censetur cadere sub præceptum speciale & secundùm se. ✱ 17mâ. Satis est actum Fidei semel in vita elicere. ✱ 18vâ. Si â potestate publica quis interrogetur fidem ingenuè confiteri, ut DEO & fidei gloriosum consulo; tacere, ut peccaminosum per se non damno. ✱ 19nâ. Voluntas non potest efficere ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium. ✱ 20mâ. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebât supernaturalê. ✱ 21mâ. Assensus Fidei supernaturalis & utilis ad salutem, stat cum notitia solùm probabili revelationis, imò cum formidine, quâ quis formidet, ne non sit locutus DEUS. ✱ 22dâ. Non nisi fides unius DEI necessaria videtur necessitate medij, non autem explicita Remuneratoris. ✱ 23tiâ. Fi-

Fides latè dicta ex testimonio Creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit. * 24tâ. Vocare DEUM in Testem mendacij levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem. * 25tâ. Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis. * 26tâ. Si quis vel solus, vel coram alijs, sive interrogatus sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocunque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod re vera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, re vera non mentitur, nec est perjurus. * 27mâ. Causa justa utendis his amphibologijs est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum ita ut veritatis occultatio, censeatur tunc expediens & studiosa. * 28va. Qui mediante commendatione vel munere ad magistratum vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi non habito respectu vel ad intentionem exigentis, quia tenetur fateri crimen occultum. * 29nâ. Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum simulandi administrationem. * 30mâ. Fas est Viro honorato occidere invasorem qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit, idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam vel ictum fustis fugiat. * 31mâ. Regulariter possum occidere furem pro conservatione unius aurei. * 32dâ. Non solùm licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possesuros speramus. * 33tiâ. Licitum est tam Hæredi quàm Legatario con-

contra injuste impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut & jus habenti in Cathedram, & Præbendam contra eorum possessionem injustè impedientem. * 34tâ. Licet procurare abortum ante animationem fœtûs, ne puella depræhensa gravida occidatur, aut infametur. * 35tâ. Videtur probabile omnem fœtum quamdiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primùm eandem incipere habere cum paritur, ac consequenter erit dicendum in nullo abortu homicidium committi. * 36tâ Permissum est furari, non solùm in extrema necessitate, sed etiam in gravi. * 37mâ. Famuli & famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandum operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt. * 38vâ. Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcunque sit magna summa totalis. * 39nâ. Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illius damni illati. * 40mâ. Contractus Mohatra licitus est etiam respectu ejusdem Personæ, cum contractu retrovenditionis prævié initio cum intentione lucri. * 41mâ Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem quàm futuram, potest creditor aliquid ultra sortem à mutuatario exigere, & eò titulo ab usura excusari. * 42dâ. Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solum si exigatur tanquam ex justitia debitum. * 43tiâ. Quidni non nisi veniale sit, detrahentis authoritatem magnam sibi noxiam falsò crimine elidere. * 44tâ. Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui ut suam justitiam & honorem defendat,

Et

Etsi hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia. * 45tâ. Dare temporale pro Spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi Spirituale, vel etiam quando temporale sit solùm gratuita compensatio pro Spirituali, aut è contra. * 46tâ. Et id quoque locum habet, etiam si temporale sit principale motivum dandi Spirituale; imò etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quàm res Spiritualis. * 47mâ. Cum dixit Conc: Trid: eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint ad Ecclesias promovent, Concilium, vel primo videtur hos digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum sumpto comparativo pro positivo, vel secundo, locutione minus propria ponit digniores ut excludat indignos non verò dignos, vel tandem loquitur, quando fit concursus. * 48vâ. Tam clarum videtur, fornicationem secundùm se nullam involvere malitiam, & solùm esse malam, quia interdicta, ut contrarium omninò rationi dissonum videatur. * 49nâ. Mollities jure naturæ prohibita non est, Vnde si DEUS eam non interdixisset, sæpe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali. * 50mâ. Copula cum Conjugata, consentiente Marito non est adulterium, adeoq; sufficit in Confessione dicere se esse fornicatum. * 51mâ. Famulus qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam Virginem, multoties ei subservit deferendo Scalàm, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne à Domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur. * 52dâ.

Præ-

Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, se posito, scandalo si adsit contéptus. ✱ 53tiâ. Satis facit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imò quatuor simul à diversis celebrantibus audit. ✱ 54tâ. Qui non potest recitare Matutinū & Laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem. ✱ 55tâ. Præcepto communionis annuæ satisfacit per sacrilegam Domini manducationem. ✱ 56. Frequens Confessio, Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis. ✱ 57mâ. Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modò honestam. ✱ 58vâ Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consvetudinem. ✱ 59nâ. Licet Sacramentaliter absolvere dimidiatè tantùm Confessos ratione magni concursûs pænitentium, qualis v.g. potest contingere in die magnæ alicujus Festivitatis ac Indulgentiæ. ✱ 60mâ. Pænitenti habenti consvetudinem peccandi contra legem DEI, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis nulla spes appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio dummodò ore proferat se dolere & proponere emendationem. ✱ 61mâ Potest aliquando absolvi qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest & non vult omittere, quinimò directè & ex proposito quærit aut ei se ingerit. ✱ 62dâ. Proxima occasiò peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit. ✱ 63tiâ. Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono Spirituali, vel temporali nostro, vel proximi. ✱ 64tâ Absolutionis est capax homo, quantumvis laboret ignorantiâ Mysteriorum Fidei, & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem nesciat mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri JESU Christi. ✱ 65tâ. Sufficit illa Mysteria semel credidisse.

Propositiones damnatæ ab Alexandro VIII. Anno Domini 1690.

I. IN statu naturæ lapsæ ad peccatum & demeritum sufficit illa libertas quæ voluntarium ac liberum fuit in Causa sub peccato originali, & voluntate Adami peccantis. * 2dâ. Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu Naturæ, lapsæ, nullo modo operantem ex ipsa excusat à peccato formali. * 3tiò. Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam. * 4tâ. Dedit semet ipsum pro nobis oblationem DEO, non pro solis electis, sed pro omnibus & solis fidelibus. * 5tâ. Pagani, Iudæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt à Christo influxum, adeoque hinc rectè inferes in illis esse voluntatem nudam, inermem, sine omni gratia sufficienti. * 6tâ. Gratia sufficiens statui nostro, non tam utilis quàm perniciosa est sic ut proinde meritò possimus petere â gratia sufficienti libera nos Domine. * 7mâ. Omnis humana actio deliberata, est DEI dilectio, vel mundi, si DEI, charitas Patris est, si mundi concupiscentia carnis hoc est mala est. * 8vâ. Necesse est infidelem omni in opere peccare. * 9nâ. Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura sine ullo ad DEUM offensum respectu. * 10mâ. Intentio quâ quis detestatur malum, & prosequitur bonum, merè ut Cælestem obtinente gloriam, non est recta, nec DEO placens. * 11mâ. Omne quod non est ex fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est. * 12dâ. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam & fides, & etiamsi videantur credere, non est fides Divina, sed humana. * 13tiâ. Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu

DEO famulatur, charitate si caruerit, vitio non Caret, quoties intuitu licèt beatitudinis operatur. * 14tâ. Timor gehennæ non est supernaturalis. * 15tâ. Attritiò, quæ gehennæ & penarum metu concipitur sine dilectione benevolentiæ Dei, propter se non est bonus metus, ac supernaturalis. * 16tâ. Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni, induxit non politia aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, & præscriptio naturalis rei id ipsum quodam modò dictantis. * 17mâ. Per illam praxim mox absolvendi ordo pænitentiæ est inversus. * 8vâ. Consvetudo moderna quo ad administrationem Sacramenti pænitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu. * 19nâ. Homo debet agere totâ vitâ pænitentiam pro peccato originali. * 20mâ Confessiones apud Religiosos factæ pleræq; vel Sacrilegæ sunt, vel invalidæ * 21mâ. Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt de imponenda nimis levi, & incongrua pænitentia, seu satisfactione, ob quæstum seu lucrum subsidij temporalis. * 22dâ Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad communionē percipiendam prætendunt antequam condignam de delictis suis pænitentiam egerint. * 23tiâ. Similiter arcendi sunt à Sacra communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers. * 24tâ Oblatio in templo, quæ fiebat â B. Virgine MARIA in die Purificationis suæ per duos pullos columbarum, unum in holocaustum & alterum pro peccatis sufficienter testantur, quod indigverit purificatione, & quod Filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus esset secundum verba legis. * 25tâ. DEI Patris simulacrum nefas est Christiano in templo collocare.

* 26tâ

* 26tâ. Laus quæ defertur MARIÆ, ut MARIÆ, vana est. * 27mâ. Valuit aliquando baptismus sub hac forma collocatus: In Nomine Patris &c. prætermissis illis. Ego te baptiso. * 28va. Valet baptismus collatus à Ministro qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: Non intendo quod facit Ecclesia. * 29nâ. Futilis & toties convulsa assertio de Pontificis Romani supra Conc: Oecumenicum auctoritate, atque in fidei quæstionibus decernendis infallibilitate. * 30mâ. Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolutè potest tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam. * 31mâ. Bulla Urbani VIII. *In eminenti*, est subreptitia.

Ab eodem Alexandro VIII. Aliæ duæ damnatæ propositiones.

I. BOnitas Objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali, formalis verò in Conformitate Actus cum regula morum. Ad hoc sufficit ut actus moralis tendat in finem vltimum interpretative. Hinc homo non tenetur amare neq; in principio neq; in decursu vitæ suæ moralis. * 2dâ. Peccatum Philosophicum seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali ac rectæ rationi. Theologicum verò & mortale est transgressio libera Divinæ Legis, Philosophicum quantumvis grave, in illo, qui DEUM vel ignorat vel de eo non cogitat actu, est grave peccatum sed non est offensa DEI neq; peccatum mortale dissolvens Amicitiam DEI neq; æterna pœna dignum.

Pro-

Propositiones damnatæ ab Innocentio XII. Anno Domini 1699.

I. DAtur habitualis Status amoris Dei, qui est charitas pura, & sine ulla admixtione motivi proprij interesse. Neque timor pœnarum, neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius DEUS propter meritum neque propter perfectionem, neque fœlicitatem in eo amando inveniendam. * 2dâ. In statu vitæ contemplativæ seu unitivæ amittitur omne motivum interessatum timoris, & spei. * 3tiâ. Id quod est essentiale in directione animæ est non aliud facere quàm sequi pedetentim gratiam cum infinita patientia præcautione & subtilitate. Oporret se intra hos limites continere, ut Sinatur DEUS agere, & nunquam ad purum amorem ducere, nisi quando DEUS per unctionem interiorem incipit aperire cor huic Verbo, quod adeò durum est animabus adhuc sibimet affixis, & adeò potest illas scandalizare, aut perturbationem conijcere. * 4tâ. In eodem statu Sanctæ indifferentiæ nihil nobis, omnia DEO volumus. Nihil volumus, ut simus perfecti & beati propter interesse proprium, sed omnem perfectionem, ac beatitudinem volumus inquantum DEO placet efficere, ut velimus res istas impressione gratiæ suæ. * 5tâ. In statu Sanctæ indifferentiæ, anima non habet amplius desideria voluntaria, & deliberata propter suum interesse exceptis ijs occasionibus, in quibus toti suæ gratiæ fideliter non cooperatur. * 6tâ. In hoc Sanctæ indifferentiæ statu, nolumus amplius salutem propriam, ut liberationem æternam, ut mercedem nostrorum meritorum ut nostrum interesse omnium maximum: sed eam volumus voluntate plena, ut gloriam, & bene placitum Dei ut rem, quam ipse

ipse vult, & quam nos vult velle propter ipsum. ★ 7mâ Derelictio non est nisi abnegatio, seu sui ipsius renuntiatio, quàm IESUS Christus à nobis in Evangelio requirit postquam externa omnia reliquerimus Ista nostri ipsorum abnegatio non est, nisi quo ad interesse proprium. Extremæ probationes in quibus hæc abnegatiò, seu sui ipsius derelictiò exerceri debet, sunt tentationes, quibus DEUS æmulator vult purgare amorem, nullum ei offerendo perfugium, neque ullam spem quo ad suum interesse proprium, etiam æternum. ★ 8vâ. Omnia Sacrificia quæ fieri solent ab animabus quàm maximè desinteressatis, circa earum æternam beatitudinem sunt conditionalia. Sed hoc Sacrificium non potest esse absolutum in statu ordinario. In uno extremarum probationum casu hoc Sacrificium fit quoquomodo absolutum. ★ 9nâ In extremis probationibus, potest animæ invincibiliter persvasum esse persvasione reflexa, & quæ non est intimus conscientiæ fundus se justè reprobatum esse à DEO. ★ 10mâ. Tunc anima divisa á semetipsa expirat cùm Christo in Cruce dicens. Deus, Deus meus quid dereliquisti me. In hac voluntaria impressione desperationis conficit Sacrificium absolutum sui interesse proprij quo ad æternitatem. ★ 11mâ. In hoc statu anima amittit omnem spem sui proprij interesse, sed nunquam amittit in parte superiori, id est in suis actibus, & directis, & intimis spem perfectam quæ est desiderium desinteressatum promissionem. ★ 12dâ. Director tunc potest huic animæ permittere ut simpliciter acquiescat jacturæ sui proprij interesse, & justæ condemnationi, quam sibi à DEO indictam credit. ★ 13tiâ. Inferior Christi pars in Cruce non communicavit superiori suas involuntarias perturbationes. ★ 14tâ. In extremis probationibus pro puri-

rifi-

rificatione amoris fit quædam separatio partis superi oris animæ ab inferiore. In ista separatione actus partis inferioris manant ex omni cæca, & involuntaria perturbatione; Nam totum quod est voluntarium & intellectuale est Partis Superioris. * 15. Meditatio constat discursivis actibus, quia â se invicem facile distinguuntur. Ita compositio actuum discursivorum & reflexorum est propria exercitatio amoris interessati. * 16tâ. Datur status contemplationis adeò sublimis, adeoque perfectæ, ut fiat habitualis, ita ut quoties anima actu orat, sua oratio sit contemplativa non discursiva. Tunc non amplius indiget redire ad meditationem ejusque actus methodicos. * 17mâ. Animæ contemplativæ privantur intuitu distincto sensibili, & reflexo IESU Christi duobus temporibus diversis. Primo. In fervore nascente earum contemplationis. Secundo. Anima amittit intuitum IESU Christi in extremis probationibus. * 18vâ. In statu passivo exercentur omnes virtutes distinctè non cogitando, quod sint virtutes, in quolibet momento aliud non cogitatur, quàm facere id quod DEUS vult, & amor Zelotypus simul efficit, ne quis amplius sibi virtutem velit, nec unquam sit adeò virtute præditus, quam cum virtuti amplius affixus non est. * 19nâ. Potest dici in hoc sensu, quod anima passiva, & disinteressata nec ipsum amorem vult amplius; quatenus est sua perfectiò & sua felicitas, sed solum quatenus est id quod DEUS à nobis vult. * 20mâ. In confitendo debent animæ transformatæ sua peccata detestari, & condemnare se & desiderare suorum remissionem peccatorum, non ut propriam purificationem & liberationem, sed ut rem, quam DEUS vult, & vult nos velle propter suam gloriam. * 21mâ. Sancti mistici excluserunt à statu animarum transformatarum exercitationes

virtutum. * 22dà Quamvis hæc doctrina (de puro amore) esset pura, & simplex perfectio Evangelica in Universa traditione designata. Antiqui Pastores non proponebant passim multitudini Iustorum, nisi exercitia amoris interessati eorum gratiæ proportionatæ. * 23tià. Purus amor ipse solus constituit totam vitam interiorem, & tunc evadit unicum principium, & unicum motivum omnium actuum, qui deliberati, & meritorij sunt.

Articuli quidam Martini Lutheri damnati à Leone X. per Bullam dogmaticam quæ incipit: Exurge Domine. Anno Domini 1520.

I. HÆretica Sententia est, sed usitata, Sacramenta novæ legis justificantem gratiam illis tantũ dare, qui non ponunt obicem. * 2dà. In puero post baptismum negare remanens peccatum, est Paulum & Christum simul conculcare. * 3tià. Fomes peccati, etiamsi nullum adsit actuale peccatum, moratur exeuntem à corpore animam ab ingressu Cæli. * 4tà. Imperfecta charitas morituri, fert secum necessario magnum timorem, qui se solò satis est facere, pœnam purgatorij, & impedit introitum Regni * 5tà. Tres esse partes pœnitentiæ, Confessionem, contritionem, satisfactionem, non est fundamentum in Sacra Scriptura, nec in antiquis Sanctis Christianis Doctoribus. * 6tà. Contritio quæ paratur per discussionem, collationem, & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acqui-

siti-

ctionem, hæc contritio facit hominem hypocritam, imò magis peccatorem. * 7mà. Verissimum est proverbium & omnium doctrinà de contritionibus hucusq; datà præstantius, de cætero non facere, summa pænitentia, optima pænitentia nova vita * 8và. Nullo modò præsumas confiteri peccata, venialia, sed omnia mortalia quia impossibile est, ut omnia mortalia cognoscas. Vnde in primitiva Ecclesia solum manifesta mortalia confitebantur. * 9nà. Dum volumus omnia purè confiteri nil aliud facimus, quàm quòd misericordiæ Dei nil volumus relinquere ignoscendum * 10mà. Peccata non sunt ulli remissa, nisi remittente Sacerdote credat sibi remitti, imò peccatum maneret, nisi remissum crederet, non enim sufficit remissio peccati & gratiæ donatio sed oportet etiam credere remissum. * 11mà Nullo modo confidas absolvi propter tuam contritionem, nisi propter verbum Christi, Quodcunq; solveris &c. Hic inquam confide, si Sacerdotis obtinueris absolutionem, & crede fortiter te absolutum, vere eris, quidquid sit de contritione. * 12dà. Si per impossibile contritus non esset confessus, aut Sacerdos non serio sed joco absolveret, si tamen credat se absolutum, verissime est absolutus. * 13tià. In Sacramento pænitentiæ ac remissione culpæ non plus facit Papa, aut Episcopus, quàm infimus Sacerdos. Imò ubi non est Sacerdos, æque tantum quilibet Christianus, etiamsi mulier aut puer esset. * 14. Nullus debet Sacerdoti respondere, se esse contritum, nec Sacerdos requirere. * 15tà. Magnus est error eorum, qui ad Sacramenta Eucharistiæ accedunt, huic innixi quod sint confessi, quod non sint sibi conscij, alicujus peccati mortalis, quòd præmiserint Orationes suas & præparatorias, omnes illi ad judicium sibi manducant & bibunt, sed si credant & confidant se

gratiam ibi consecuturos, hæc sola fides facit eos puros & dignos. * 16tà. Consultum videtur quod Ecclesia in communi Concilio statueret laicos sub utraq; specie communicandos, nec Bohemi communicantes sub utraq; specie, sunt hæretici sed Schismatici. * 17mà. Thesauri Ecclesiæ unde Papa dat indulgentias non sunt merita Christi & Sanctorum. * 18và. Indulgentiæ sunt piæ fraudes fidelium, & remissiones bonorum onerum, & sunt de numero eorum, quæ licent, & non de numero eorum quæ expediunt. * 19nà. Indulgentiæ his qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ, apud Divinam justitiam. * 20mà. Seducuntur credentes, indulgentias esse salutares, & ad fructum Spiritus utiles. * 21mà. Indulgentiæ solum necessariæ sunt publicis criminibus, & propriè conceduntur duris solummodò & impatientibus. * 22dà. Sex generibus hominum indulgentiæ nec sunt utiles, nec necessariæ, videlicet mortuis seu morituris, infirmis, legitimè impeditis, his qui non commiserunt crimina, his qui crimina commiserunt sed non publica, his qui meliora operantur. * 23tià. Excommunicationes sunt tantùm externæ pœnæ, nec privant hominem communibus Spiritualibus Ecclesiæ Orationibus. * 14tà. Docendi sunt Christiani plus diligere excommunicationem quàm timere. * 25ta Romanus Pontifex Petri successor, non est Christi Vicarius super omnes totius mundi Ecclesias, ab ipso Christo in B. Petro institutus. * 26tà. Verbum Christi ad Petrum quodcunq; solveris super terram, &c. extenditur duntaxat ad ligata ab ipso Petro. * 27mà. Certum est in manu Ecclesiæ aut Papæ prorsus non esse statuere articulos fidei, imò nec leges morum seu bonorum operum. * 28và. Si Papa cum magna

gna parte Ecclesiæ, sic vel sic sentiret, nec etiam erraret, adhuc non est peccatum, aut hæresis contrarium sentire. præsertim in re non necessaria ad salutem, donec fuerit per Concilium universale alterum reprobatum, alterum approbatum. * 29nà. Via nobis facta est eneruandi authoritatem Conciliorum, & libere contradicere eorum gestis, & judicandi eorum decreta, & confidenter confitendi, quidquid verum videtur sive probatum fuerit sive reprobatum à quocunq; Concilio. * 30mà. Aliqui articuli Ioannis Husz condemnati in Concilio Constantien: sunt Christianissimi, Verissimi, & Evangelici, quos nec universalis Ecclesia posset damnare. * 31mà. In Omni operè bono justus peccat. * 32dà. Opus bonum optimè factum est veniale peccatum. 33tià. Hæreticos comburi est contra voluntatem Spiritus. * 34tà. Præliari adversus Turcas, est repugnare DEO visitanti iniquitates nostras per illos. * 35tà. Nemo est certus, se non semper peccare mortaliter, propter occultissimum superbiæ vitium. * 36tâ. Liberum arbitrium post peccatum, est res de solo titulo & dum facit quod in se est, peccat mortaliter. * 37mà Purgatorium non potest probari ex Sacra Scriptura quæ sit in Canone. * 38và. Animæ in purgatorio non sunt securæ de earum salute, saltem omnes, nec probatum est ullis aut rationibus aut scripturis, ipsas esse nec extra statum merendi, aut agendæ charitatis. * 39nà. Animæ in purgatorio, peccant sine intermissione, quamdiu quærunt requiem & horrent pænas. * 40mà. Animæ ex purgatorio liberatæ, suffragijs viventium minus beantur, quam si per se satisfecissent. * 41mà. Prælati Ecclesiastici & Principes sæculares, non malefacerent, si omnes saccos mendicitatis delerent.

Articuli quidam Ioan: Vicleffi damnati à Martino V.

1. Substantia panis materialis & similiter substantia vini materialis remanent in Sacramento Altaris. * 2dà. Accidentia panis non remanent sine subjecto in eodem Sacramento. * 3tià. Christus non est in eodem Sacramento identicè & realiter in propria Persona corporali. * 4tà. Si Episcopus vel Sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non consecrat, non conficit, non baptizat. * 5tà. Non est fundatum in Evangelio quod Christus Missam ordinaverit. * 6tà. Si homo fuerit debitè contritus, omnis Confessio exterior est sibi superflua, & inutilis. * 7mà Contra Scripturam Sacram est, quod viri Ecclesiastici habeant possessiones. * 8và. Prælatus excommunicans Clericum, qui appellavit ad Regem vel ad Concilium Regni, eo ipso traditor est ejus & Regni. * 8và. Nullus est Dominus civilis, nullus est Prælatus, nullus est Episcopus, dum est in pecato mortali. * 10mâ. Populares possunt ad suum arbitrium, Dominos delinquentes corrigere. * 11mà. Decimæ sunt puræ eleemosynæ, & possunt Parochiani, propter peccata suorum Prælatorum, ad libitum suum eas auferre. * 12dà. Omnes sunt Simoniaci, qui se obligant orare pro alijs eis in temporalibus subvenientibus. * 13tià. Omnia de necessitate absoluta eveniunt. * 14tà Religiosi viventes in Religionibus privatis, non sunt de Religione Christiana. * 15tà. Ditare clerum est contra Regulam Christi. * 16tà. Ecclesia Romana est Synagoga Sathanæ, nec Papa est proximus & immediatus Vicarius Christi & Apostolorum. * 17mà Iuramenta illicita sunt, quæ fiunt ad corroborandos humanos contractus, & commercia Civilia.

Propositiones Baj à Pio V. & Vrbano VIII. damnatæ.

1. NEc Angeli nec primi hominis adhuc integri, merita rectè vocantur gratia. * 2dà. Sicut opus malum ex natura sua est mortis æternæ meritorium, sic bonum opus ex natura sua est vitæ æternæ meritorium. * 3tià. Et bonis Angelis & primo homini si in statu illo perseverasset, usq; ad ultimum vitæ, felicitas esset merces & non gratia. * 4tà. Vita æterna homini integro & Angelo promissa fuit intuitu bonorum operum, & bona opera ex lege naturæ ad illam consequendam per se sufficiunt. * 5tà. In promissione facta Angelo & primo homini continetur naturalis justitiæ constitutio, qua pro bonis operibus, sine alio respectu, vita æterna justis promittitur. * 6tà. Naturali lege constitutum fuit homini, ut si in obedientia perseveraret, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset. * 7mà. Primi hominis integri merita fuerunt prima creationis munera, sed juxta modum loquendi Scripturæ Sacræ non rectè vocantur gratia, quo fit ut tantùm merita, non etiam gratia debeant nuncupari. * 8và. In redemptis per gratiam Christi, nullum inveniri potest bonum meritum, quod non sit gratis indigno collatum. * 9nà. Dona concessa homini integro, & Angelo forsitan non improbanda ratione, possunt dici gratia, sed quia secundum usum Sacræ Scripturæ, nomine gratiæ ea tantùm munera intelliguntur, quæ per IESUM Christum male meritis & indignis conferuntur, ideo neq; merita neq; merces quæ illis redditur, gratia dici debet. * 10mà. Solutio pœnæ temporalis quæ peccato dimisso, sæpè remanet, & corporis resurrectio proprie nonnisi meritis Christi adscribenda est. * 11mà. Quod pie &

& juste in hac vita mortali usq; in finem conversati vitam consequimur æternam, id non proprie gratiæ Dei sed ordinationi naturali, statim initio creationis constitutæ justo DEI judicio deputandum est, neq; in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantum ad primam institutionem generis humani, in qua lege naturali constitutum est, ut justo Dei judicio, obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur. * 12dà. Pelagij Sententia est, opus bonum circa gratiam adoptionis factum, non est Regni Cælestis meritorum. * 13tià. Opera bona à filijs adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo quod fiunt per Spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantum ex eo quod sunt conformia legi, quodq; per ea præstatur obedientia legi. * 14tà. Opera justorum bona, non accipiunt in die judicij extremi ampliorem mercedem quam justo Dei judicio mereantur accipere. * 15tà. Ratio meriti non consistit in eo quod qui benè operantur habent gratiam, & inhabitantem Spiritum Sanctum; sed in eo solum quod obedit Divinæ legi. * 16tà. Non est vera legis obedientia, quæ fit sine charitate. * 17mà. Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt esse necessarium ad rationem meriti ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum Deificum. * 18và Opera catechumenorum ut fides & pænitentia, ante remissionem peccatorum facta sunt vitæ æternæ merita, quam vitam ipsi non consequentur nisi prius præcedentium delictorum impedimenta tollantur. * 19nà. Opera justitiæ & temperantiæ quæ Christus fecit, ex dignitate personæ operantis non contraxerunt majorem valorem. * 20mà. Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pænam æternam. * 21mà. Humanæ naturæ sublimatio & exaltatio in

in consortium Divinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis. ✱ 22dà. Cum Pelagio sentiunt qui textum Apostoli (ad Rom: 2. Gentes quæ legem non habent naturaliter, quæ legis sunt faciunt.) intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus ✱ 23tià. Absurda est eorum sententia, qua dicunt hominem ab initio, dono quodam supernaturali & gratuito supra conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum, ut fide, spe & charitate DEUM supernaturaliter coleret. ✱ 24tà. A vanis & otiosis hominibus, secundum insipientiam Philosophorum excogitata est sententia quæ ad pelagianismum reijcienda est. Hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturæ superaddita fuerit largitate Conditoris sublimatus, & ad DEI Filium adoptatus. ✱ 25tà. Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia. ✱ 26tà. Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio. ✱ 27mà. Liberum arbitrium sine gratiæ DEI adjutorio, nonnisi ad peccandum valet. ✱ 28vá. Pelagianus est error dicere, quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum. ✱ 29nà. Non solùm fures ij sunt & latrones, qui Christum viam, & Ostium veritatis & vitæ negant, sed etiam quicunq; aliunde quam per ipsum in vitam justitiæ (hoc est ad aliquam justitiam) conscendi posse docent. ✱ 30mà. Aut tentationi ulli sinè gratiæ ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, ac ab ea non superetur. ✱ 31mà. Charitas perfecta & sincera, quæ est corde puro & conscientia bona, & fide non ficta, tam in Catechumenis quam in pænitentibus, potest esse sinè remissione peccatorum. ✱ 32dà. Catechumenus justè, rectè, & Sanctè vivit, & mandata

DEI

DEI observat, ac legem implet per charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in baptismi lavacro demum percipitur. ✱ 33tià. Charitas illa quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum. ✱ 34tà. Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet quo DEUS amatur, ut author naturæ, & gratuiti, quo DEUS amatur ut beatificator, vana est & commentitia, & ad illudendum Sacris literis, & plurimis veterum testimonijs excogitata. ✱ 35tà. Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est. ✱ 36tà. Amor naturalis qui ex viribus naturæ exoritur, ex sola Philosophia, per elationem præsumptionis humanæ, cum injuria Crucis Christi defenditur à nonnullis Doctoribus. ✱ 37mà. Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est quod ex naturæ solis viribus ortum ducit agnoscit. ✱ 38và. Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ à Ioanne prohibetur aut laudabilis illa charitas qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa, DEUS amatur. ✱ 39nà. Quod voluntariè fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit. ✱ 40mà. In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati. ✱ 41mà. Is libertatis modus qui est à necessitate sub libertatis nomine, non reperitur in Scripturis, sed solùm nomen libertatis à peccato. ✱ 42dà. Iustitia qua justificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quæ est operum justitia, non autem in gratià aliqua animæ infusâ, qua adoptatur homo in filium DEI, & secundum interiorem hominem renovatur, ac Divinæ naturæ consors efficitur, ut sic per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps bene vivere, & DEI mandatis obedire possit. ✱ 43tià. In hominibus pænitentibus ante Sacramentum absolutionis

nis, & in Catechumenis ante baptismum, est vera justificatio, separata tamen à remissione peccatorum. * 44tà. Operibus plerisq; quæ à fidelibus fiunt solùm ut DEI mandatis pareant, cujusmodi sunt obedire Parentibus, depositum reddere, ab homicidio, à furto, à fornicatione abstinere, justificantur quidem homines, quia sunt legis obedientia, & vera legis justitia, non tamen ijs obtinent incrementa virtutum. * 45tà. Sacrificium Missæ non alia ratione est Sacrificium, quàm generali illa, qua omne opus quod fit, ut Sancta Societate, DEO homo inhæreat. * 46tà. Ad rationem & definitionem peccati, non pertinet voluntarium, nec definitionis quæstio est, sed causæ & originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium. * 47mà. Vnde peccatum originis vere habet rationem peccati sine ulla relatione ac respectu ad voluntatem à qua originem habuit. * 48và. Peccatum originis est, habituali parvuli voluntate, voluntarium, & habitualiter dominatur parvulo, eo quod non gerit contrarium voluntatis arbitrium. * 49nà. Et ex habituali voluntate dominante fit, ut parvulus decedens sine regenerationis Sacramento, quando usum rationis consecutus erit, actualiter DEUM odio habeat DEUM blasphemet, & legi Dei repugnet. * 50mà, Prava desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto, Non concupisces. * 51mà. Concupiscentia sive lex membrorum, & prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines sunt vera legis obedientia. * 52dà. Omne scelus est ejus conditionis, ut suum authorem, & omnes posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima transgressio. * 53tià. Quantum est ex vi transgressionis tantùm meritorum malorum à generante contrahunt, qui cum minoribus nascuntur vitijs,

quàm

quam qui cum majoribus. ✱ 54tà. Diffinitiva hæc Sententia DEUM homini nil impossibile præcepisse, falso tribuitur Augustino, cum Pelagij sit. ✱ 55tâ. DEUS non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur ✱ 56ta. In peccato duo sunt, actus & reatus. transeunte autem actu, nihil remanet nisi reatus sive obligatio ad pænam. ✱ 57ma. Vnde in Sacramento baptismi, aut Sacerdotis absolutione, propriè duntaxat reatus peccati tollitur, & ministerium Sacerdotum solum liberat à reatu. ✱ 58và Peccator pænitens non vivificatur Ministeriò Sacerdotis absolventis, sed à solo DEO qui pænitentiam suggerens & inspirans vivificat eum, & resuscitat. Ministerio autem Sacerdotis solum reatus tollitur. ✱ 59. Quando per eleemosynas, aliaq; pænitentiæ opera DEO satisfacimus pro pænis temporalibus, non dignum pretium DEO pro peccatis offerimus, sicut quidam errantes autumant (nam alioquin essemus saltem aliqua ex parte redemptores) sed aliquid facimus, cujus intuitu Christi satisfactio nobis applicatur & communicatur. ✱ 60mà. Per passiones Sanctorum in indulgentijs communicatas non proprie redimuntur nostra delicta, sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impartiuntur, ut digni simus, qui pretio Sangvinis Christi, à pænis pro peccatis debitis liberemur. ✱ 61mà. Celebris illa Doctorum distinctio, Divinæ legis mandata bifariam impleri, altero modò quantùm ad præceptorum operum substantiam tantùm, altero quantum ad certum quemdam modum, videlicet secundum quem valeant operantem perducere ad Regnum, (hoc est ad modum meritorum) commentitia est & explodenda. ✱ 62dà Illa quoq; distinctio qua opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex objecto & omnibus circumstantijs rectum est & bonum (quod moraliter bonum

num appellare consveverunt) vel quia est meritorium Regni æterni, eo quod fit à vivo Christi membro per Spiritum charitatis, reijcienda est. ✱ 63tià. Sed & illa distinctio duplicis justitiæ, alterius quæ fit per Spiritum charitatis inhabitantem, alterius quæ fit ex inspiratione quidem Spiritus Sancti, cor ad pænitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis & in eo charitatem diffundentis, quà Divinæ legis justificatio impleatur, similiter reicitur ✱ 64tà. Item & illa distinctio, duplicis vivificationis, alterius quà vivificatur peccator, dum ei pænitentiæ & vitæ novæ propositum, & inhoatio per DEI gratiam inspiratur, alterius qua vivificatur qui verè justificatur & palmes vivus in vite Christo efficitur, pariter commentitia est, & scripturis minimè congruens. ✱ 65tà. Nonnisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrij bonus, sive non malus; & gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sentit & docet. ✱ 66tà. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali ✱ 67mà. Homo peccat etiam damnabiliter, in eo quod necessario facit. ✱ 68và. Infidelitas purè negativa in his, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est. ✱ 69nà. Iustificatio impij fit formaliter per obedientiam legis, non autem per occultam communicationem & inspirationem gratiæ, quæ per eam justificatos faciat implere legem ✱ 70mà. Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis, potest habere veram charitatem, & charitas etiam perfecta, potest consistere cum reatu æternæ damnationis. ✱ 71mà. Per contritionem etiam cum charitate perfecta, & cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen, extra casum necessitatis aut Martyrij, sine actuali susceptione Sacramenti. ✱ 72dà. Omnes omnino justorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum

rum; unde & Iob & Martyres quæ passi sunt, propter peccata sua passi sunt. * 73tiâ. Nemo præter Christum, est absq; peccato originali, hinc Beatissima Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesq; ejus afflictiones in hac vita, sicut & aliorum justorum fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis. * 74tà Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur peccatum est sicut & alij habitus pravi. * 75tà. Motus pravi concupiscentiæ sunt pro statu hominis vitali prohibiti præcepto, non concupisces; undè homo eos sentiens, & non consentiens transgreditur præceptum, non concupisces; quamvis transgressio in peccatum non deputetur. * 76tà. Quamdiu aliquid concupiscentiæ carnalis in diligente est, non facit præceptum: Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo * 77mâ. Satisfactiones laboriosæ justificatorum, non valent expiare de condigno pænam temporalem restantem post culpam condonatam. * 78vâ. Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio. * 79nà. Falsa est Doctorum sententia, primum hominem potuisse à DEO creari, & institui sine justitia naturali.

Propositiones damnatæ à Clemente XI. per Bullam Unigenitus.

I. QUid aliud remanet animæ, quæ DEUM atq; ipsius gratiam amisit, nisi peccatum & peccati consecutiones, superba paupertas & segnis indigentia, hoc est generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum. * 2dà. IESU Christi gratia principium efficax boni cujuscunq; generis, necessaria est ad omne opus bonum, absq;

absq; illa, non solum nihil fit sed nec fieri potest. 3tià. In vanum Domine præcipis, si tu ipse non das quod præcipis. ✱ 4tà. Ita Domine, omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo. ✱ 5tà. Quando DEUS non emollit cor per interiorem unctionem, gratiæ suæ, exhortationes & gratiæ exteriores non inserviunt, nisi ad illud magis obdurandum. ✱ 6ta. Discrimen inter fœdus Iudaicum & Christianum est, quod in illo DEUS exigit fugam peccati, & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in sua impotentia, in isto verò DEUS peccatori dat, quod jubet, illum sua gratia purificando. ✱ 7mà. Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo DEUS illum reliquit, ejus propriæ infirmitati imponendo ipsi suam legem, quæ verò felicitas, non est admitti ad fœdus in quo DEUS nobis donat, quod petit à nobis. ✱ 8và. Nos non pertinemus ad novum fœdus, nisi inquantum participes sumus ipsius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod DEUS nobis præcipit. ✱ 9nà. Gratia Christi est gratia suprema, sine qua confiteri Christum nunquam possumus, & cum qua nunquam illum abnegamus. ✱ 10mà. Gratia est operatio manûs Omnipotentis DEI, quam nihil impedire potest, aut retardare. ✱ 11mà. Gratia non est aliud quàm voluntas Omnipotentis Dei, jubentis & facientis quod jubet. ✱ 12mà. Quando DEUS vult salvare animam, quocunq; tempore, quocunq; loco, effectus indubitabilis sequitur, voluntatem Dei ✱ 13tià. Quando DEUS vult animam salvam facere, & illam tangit interiori gratiæ suæ manu, nulla voluntas humana ei resistit. ✱ 14tà. Quantumcunq; remotus à salute sit peccator obstinatus, quando IESUS se ei videndum exhibet lumine suæ gratiæ salutari, oportet, ut se dedat, accurrat, sese humiliet, &

ado-

adoret Salvatorem suum. ✱ 15. Quando DEUS mandatum suum & suam æternam locutionem comitatur Unctione sui Spiritus, & interiori vi gratiæ suæ, operatur illa obedientiã in corde quam petit. ✱ 16tà. Nullæ sunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil resistit omnipotenti. ✱ 17mà. Gratia est vox illa Patris, quæ homines interius docet, ac eos venire facit ad IESUM Christum, quicunq; ad eum non venit, postquam audivit vocem exteriorem Filij, nullatenus est doctus à Patre. ✱ 18và. Semen DEI quod manus Domini irrigat, semper affert fructum suum. ✱ 19nà. DEI gratia nihil est aliud, quam ejus omnipotens voluntas, hæc est idea quàm DEUS ipse nobis tradit, in omnibus suis scripturis. ✱ 20mà. Vera gratiæ idea est, quod DEUS vult sibi à nobis obediri & obeditur, imperat & omnia fiunt loquitur tanquam Dominus, & omnia sibi submissa sunt. ✱ 21mà. Gratia IESU Christi est gratia fortis, potens suprema invincibilis, ut pote quæ est operatio voluntatis Omnipotentis, sequela & & imitatio operationis DEI incarnantis & resuscitantis Filium suum ✱ 22dà. Concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis, cum libero ipsius voluntatis consensu, demonstratur in nobis illico Incarnatione, veluti in fonte atq; Archetypo omnium aliarum operationum misericordiæ & gratiæ, quæ omnes gratuitæ atq; ita dependentes à DEO sunt, sicut ipsa originalis operatio ✱ 23tià. DEUS ipse nobis ideam tradidit Omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significans per illam, qua creaturas ex nihilô producit, & mortuis reddit vitam. ✱ 24tà. Iusta idea quam Centurio habet, de omnipotentia DEI & IESU Christi, in sanandis Corporibus solo motu suæ voluntatis, est imago ideæ quæ haberi debet, de Omnipotentia suæ gratiæ in sanandis animabus

bus à cupiditate. ✱ 25tà. DEUS illuminat animam, & eam sanat æquè ac corpus, sola sua voluntate, jubet & ipsi obtemperatur. ✱ 26tà. Nullæ dantur gratiæ nisi per fidem. ✱ 27mà. Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum. ✱ 28và. Prima gratia quàm DEUS concedit peccatori est peccatorum remissio. ✱ 29nà. Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia. ✱ 30mà. Omnes quos DEUS vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter. ✱ 31mà. IESUS Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo, sangvine Primogenitos, id est Electos, de manu Angeli exterminatoris. ✱ 32dà. Desideria Christi semper habent suum effectum, pacem intimo cordium infert, quando ei, illam optat. ✱ 33tià. Proh quantum oportet bonis terrenis & sibimetipsi renuntiasse, ad hoc ut quis fiduciam habeat sibi, ut ita dicam, approbandi Christum IESUM, ejus amorem, mortem & mysteria, ut facit S. Paulus dicens: Qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me. ✱ 34tà. Gratia Adami non producebat nisi merita humana. ✱ 35tà. Gratia Adami est sequela creationis, & erat debita naturæ sanæ & integræ. ✱ 36tà. Differentia essentialis inter gratiam Adami & statûs innocentiæ, ac gratiam Christianam est, quod primam unusquisq; in propria Persona recepisset, ista verò non recipitur, nisi in Persona IESU Christi resuscitati, cui nos uniti sumus. ✱ 37mà. Gratia Adami Sanctificando illum in semetipso, erat illi proportionata, Gratia Christiana nos Sanctificando in IESU Christo, est omnipotens & digna Filio DEI. ✱ 38và. Peccator non est liber, nisi ad malum, sinè gratia Liberatoris. ✱ 39nà. Voluntas quàm gratia non prævenit, nihil habet luminis nisi ad aberrandum, ardoris, nisi ad se præcipitandum, virium, nisi ad se vulnerandum. Est capax omnis mali, & in capax ad

omne bonum. * 40mà. Sine gratia nihil amare possumus, nisi ad Nostram condemnationem. * 4 mà. Omnis cognitio DEI, etiam naturalis, etiam in Philosophis, non potest venire nisi à DEO, & sine gratia non producit nisi præsumptionem, vanitatem & oppositionem ad ipsum DEVM, loco affectuum adorationis, gratitudinis & amoris. * 42dà. Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad Sacrificium fidei, sine hoc nihil, nisi impuritas, nihil nisi indignitas. * 43tià. Primus effectus gratiæ baptismalis est facere ut moriamur peccato, adeò ut Spiritus, cor, sensus, non habeant plus vitæ pro peccato, quàm homo mortuus habeat pro rebus mundi. * 4 tà. Non sunt nisi duo amores, unde volitiones & actiones omnes Nostræ nascuntur Amor Dei qui omnia agit propter DEVM, quemq; DEVS remunerat, & amor quo nos ipsos & mundum diligimus, qui quod ad DEVM referendum est non refert, & propter hoc ipsum fit malus * 45tà. Amore DEI in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesq; actiones ejus corrumpat * 46tà. Cupiditas aut charitas usum sensuum bonum vel malum faciunt. * 47mà. Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic est fons charitas. Quando DEI amor est illius principium interius, & DEI gloria ejus finis, tunc purum est quod apparet exterius, alioquin non est nisi hypocrisis aut falsa justitia, * 48và. Quid aliud esse possumus, nisi tenebræ, nisi aberratio, & nisi peccatum sine fidei lumine, Christo, & sine charitate. * 49nà. Vt nullum peccatum est sine amore nostri, ita nullum est opus bonum sine amore Dei * 50mà. Frustra clamamus ad DEVM Pater mi! si Spiritus charitatis non est ille qui clamat. * 51mà. Fides justificat, quando operatur, sed ipsa non operatur, nisi per cha-

rita-

ritatem. ✱ 52dà. Omnia alia salutis media continentur in fide, tanquam in suo germine & semine, sed hæc fides non est absq; amore & fiducia. ✱ 53tià. Sola charitas Christiano modo facit (actiones Christianas) per revelationem ad DEVM, IESVM Christum. ✱ 54tà. Sola charitas est, quæ DEO loquitur, eam solam DEVS audit. ✱ 55tà. DEVS non coronat nisi charitatem, quoniam charitas sola DEVM coronat. ✱ 56tà. DEVS non remunerat nisi charitatem, qui currit ex alio impulsu, & ex alio motivo, in vanum currit ✱ 57mà. Totum deest peccatori, quando ei deest spes, & non est spes in DEO, ubi non est amor Dei ✱ 58và. Nec DEVS est, nec Religio, ubi non est charitas. ✱ 59nà. Oratio impiorum est novum peccatum, & quod DEVS illis concedit, est novum in eos judicium. ✱ 60mà. Si solus supplicij timor animat pænitentiam, quò hæc est magis violenta, eò magis ducit ad desperationem. ✱ 61mà. Timor nonnisi manum cohibet, cor autem tam diu peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur. ✱ 62dà. Qui à malo non abstinet, nisi timore pænæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram DEO. ✱ 63tià. Baptizatus adhuc est sub lege, sicut Iudæus; si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore ✱ 64tà. Sub maledicto legis nunquam fit bonum, quia peccatur sive faciendo malũ sive illud nonnisi ob timorem evitando. ✱ 65tà. Moyses Prophetæ Sacerdotes & Doctores legis mortui sunt, absq; eo quod ullum DEO dederint Filium, cum non effecerint nisi mancipia per timorem. ✱ 66tà. Qui vult DEO appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neq; adduci per instinctum naturalem, aut per timorem sicuti bestiæ, sed per fidem & amorem sicuti Filij. ✱ 67mà. Timor servilis non sibi

repræſentat DEVM, niſi ut Dominum durum, imperioſum, injuſtum, intractabilem. ✱ 68và. Dei bonitas, abbreviavit viam ſalutis claudendo totum in fide & precibus. ✱ 69nà. Fides, uſus, augmentum & præmium fidei, totum eſt donum puræ liberalitatis Dei. ✱ 70mà. Nunquàm DEVS affligit innocentes, & afflictiones ſemper ſerviunt, vel ad puniendum peccatum, vel purificandum peccatorem. ✱ 71mà. Homo ob ſui conſervationem poteſt ſeſe diſpenſare ab ea lege, quam DEVS condidit propter ejus utilitatem. ✱ 72dà. Nota Eccleſiæ Chriſtianæ, id eſt quod ſit Catholica, comprehendens & omnes Angelos Cæli, & omnes electos & juſtos terræ & omnium ſæculorum. ✱ 73tià. Quid eſt Eccleſia? niſi cætus Filiorum Dei manentium in ejus ſinu, adoptatorum in Chriſto ſubſiſtentium in ejus Perſona, redemptorum ejus Sangvine, viventium ejus Spiritu, agentium per ejus gratiam, & expectantium gratiam futuri ſæculi. ✱ 74tà. Eccleſia ſive integer Chriſtus, incarnatum Verbum habet ut caput, omnes verò Sanctos ut membra. ✱ 75tà. Eccleſia eſt unius ſolus homo, compoſitus ex pluribus membris, quorum Chriſtus eſt caput, vita, abſtinentia & Perſona, unius ſolus Chriſtus compoſitus ex pluribus Sanctis, quorum eſt Sanctificator. ✱ 76. Nihil ſpatioſius Eccleſiâ Dei quia omnes electi & juſti omnium ſæculorum illam componunt. ✱ 77mà. Qui non ducit vitam dignam Filio DEI & membro Chriſti, ceſſat interius habere DEVM pro Patre, & Chriſtum pro capite. ✱ 78và. Separatur quis à populo electo, cujus figura fuit populus Judaicus, & caput eſt IESVS Chriſtus, tam non vivendo ſecundum Evangelium, quàm non credendo Evangelio. ✱ 79nà. Vtile & neceſſarium eſt omni tempore, omni loco & omni Perſonarum generi Studere, & cognoſcere Spiritum, pie-

eta-

etatem & Mysteria Sacræ Scripturæ. ✱ 80mà. Lectio Sacræ Scripturæ est pro omnibus. ✱ 81mà. Obscuritas Sanctæ verbi DEI, non est laicis ratio dispensandi se ab ejus lectione ✱ 82dà. Dies Dominicus à Christianis debet sanctificari lectionibus pietatis, & super omnia Sacrarum Scripturarum. Damnosum est velle Christianum ab hac lectione retrahere. ✱ 83tià. Est illusio sibi persvadere, quod notitia Mysteriorum Religionis, non debeat communicari fæminis lectione Sacrorum librorum; non ex fæminarum simplicitate, sed ex superba virorum scientia, ortus est Scripturarum abusus, & natæ sunt hæreses. ✱ 84tà. Abripere è Christianorum manibus novum testamentum, seu eis clausum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, est illis Christi os obturare. ✱ 85tà. Interdicere Christianis lectionem Sacræ Scripturæ, præsertim Evangelij, est interdicere usum luminis filijs lucis & facere ut patiantur speciem quandam excommunicationis. ✱ 86tà. Eripere simplici populo hoc solatium, jungendi vocem suam voci totius Ecclæ, est usus contrarius praxi Evangelicæ, & intentioni Dei. ✱ 87mà. Modus plenus Sapientiâ, lumine & charitate est dare animabus tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati, petendi Spiritum pænitentiæ & contritionis, & incipiendi ad minus satisfacere justitiæ Dei, antequam reconcilientur. ✱ 88và. Ignoramus quid sit peccatum & pænitentia vera, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit, & detractamus separationis istius ferre confusionem. ✱ 89nà. Quartus decimus gradus conversionis peccatoris est, quòd cum sit jam reconciliatus, habet jus assistendi Sacrificio Ecclesiæ. ✱ 90mà. Ecclesia authoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos

Paſtores de conſenſu ſaltim præſumpto totius Corporis. ✱ 91mà. Excommunicationis injuſtæ metus, nunquam debet nos impedire, ab implendo debito Noſtro, nunquam eximus ab Eccleſia, etiam quando hominum nequitia, videmur ab ea expulſi, quando DEO IESV Chriſto atq; ipſi Eccleſiæ per charitatem affixi ſumus. ✱ 92dà. Pati potius in pace excommunicationem, & anathema injuſtum quàm prodere veritatem, eſt imitari S. Paulum: tantum abeſt ut ſit erigere ſe contra authoritatem, aut ſcindere unitatem. ✱ 93tià. IESVS quandoq; ſanat vulnera, quæ præceps primorum Paſtorum feſtinatio infligit ſine ipſius mandato; IESVS reſtituit, quod ipſi inconſiderato zelo præſcindunt. ✱ 94tà. Nihil pejorem de Eccleſia opinionem ingerit ejus inimicis quàm videri illic dominatum exerceri, ſupra fidelium, & foveri diviſiones propter res, quæ nec fidem lædunt nec mores. ✱ 95tà. Veritates eò devenerunt, ut ſit lingva quaſi peregrina pleriſq; Chriſtianis, & modus eas prædicandi eſt veluti idioma incognitum Adeo remotus eſt, à ſimplicitate Apoſtolorum, & ſupra communem captum fidelium; neq; ſatis aduertitur, quòd hic defectus ſit unum ex ſignis maximè ſenſibilibus ſenectutis Eccleſiæ & iræ DEI in filios ſuos. ✱ 96tà. DEVS permittit ut omnes poteſtates ſint contrariæ Prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non poſſit; niſi Divinæ gratiæ. ✱ 97mà. Nimis ſæpe contingit membra illa quæ magis Sanctè ac magis ſtrictè unita Eccleſiæ ſunt, reſpici atq; tractari tanquam indigna, ut ſint in Eccleſia, vel tanquam ab ea ſeparata ſed juſtus vivit ex fide & non ex opinione hominum. ✱ 98và. Status perſecutionis & pænarum, quas quis tolerat tanquam hæreticus aut flagitioſus & impius, ultima plerumq; probatio eſt & maxima meritoria, utpote quæ facit homi-

hominem magis conformem IESV Christo. * 99nà. Pervicacia, præventio, obstinatio in nolendo, aut aliquid examinare aut agnoscere se fuisse deceptum, mutant quotidie quo ad multos in odorem mortis id, quod DEVS in sua Ecclesia posuit, ut in ea esset odor vitæ, V. G. bonos libros, instructiones, Sancta exempla &c. * 100mà. Tempus deplorabile quo creditur honorari DEVS persequendo veritatem, ejusq; Discipulos. Tempus hoc advenit Haberi & tractari à Religionis Ministris tanquam impium & indignum, omni commertio cum DEO, tanquam membrum putridum capax corrumpendi omnia in societate Sanctorum, est hominibus pijs, morte corporis mors terribilior. Frustra quis sibi blanditur, de suarum intentionum puritate, & zelo quodam Religionis, persequendo flammâ, ferroq; viros probos, si propria passione est excæcatus, aut abreptus aliena, propterea quod nihil vult examinare. Frequenter credimus Sacrificare DEO impium, & Sacrificamus diabolo Dei servum. * 101mà. Nihil Spiritui DEI & doctrinæ IESV Christi magis opponitur, quàm communia facere juramenta, in Ecclesia, quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis & idiotis, & efficere ut nomen & veritas Dei aliquando deserviant consilio impiorum.

Auditis itaq; tum voce tum scripto nobis exhibitis Cardinalium aliorumq Theologorum suffragijs, diviniq; imprimis luminis, privatis ad eundem finem publicisq; etiam indictis præcibus, implorato præsidio; Omnes & singulas Propositiones præinsertas, tanquàm falsas, captiosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, scandalosas, perniriosas, temerarias, Ecclesiæ, & ejus praxi injuriosas, neq; in Ecclesiam solum sed etiam in potestates sæculi contumeliosas, seditiosas impias blasphemas, suspectas de Hæresi, ac

Hæresim ipsam sapientes, nec non Hæreticis, & Hæresibus, ac etiam Schismati faventes, erroneas, Hæresi proximas, pluries damnatas ac demum etiam hæreticas, variasq; hæreses & potissimum illas, quæ in famosis Iansenij propositionibus & quidem in eo sensu, inquo hæ damnatæ fuerunt, acceptis continentur manifeste innovantes, respectivè hac nostra perpetuo valitura Constitutione declaramus damnamus & reprobamus. Mandantes &c.

Quid autem sit propositio Hæretica, Erronea, Sapiens errorem Temeraria, scandalosa, Piarum aurium offensiva, male sonans, simplicium seductiva, Schismatica, injuriosa, Impia, Iudaica, Pagana, Athea, &c.

Nota ex Annato *Hæretica propositio sive doctrina est illa*, quæ formaliter & directè opponitur Fidei doctrinæ à DEO revelatæ & per Ecclesiam definitæ v. g. si quis diceret Cum Ario Christus DEI Filius non est Patri consubstantialis, hæc en directe & formaliter opponitur doctrinæ Fidei à DEO revelatæ & in Niceno Concilio per Ecclesiam declaratæ. Vnde notat D. Thomas Clarissimos Ecclesiæ Doctores aliquando sententijs inter se pugnasse & contraria Fidei tenuisse dogmata nec tamen Hæreticos fuisse, quia res de quibus disputabant nondum erant per Ecclesiam definitæ; quales fuerunt D. Hieronymus & Augustinus de Legalibus Moysaicis post Christi mortem altercantes. *Erronea est*, quæ opponitur veritati seu dodoctrinæ juxta vnanimem Sanctorum Patrum vel Ecclesiæ Doctorum consensum revelatæ sed nondum per Ecclesiam definitæ, seu quæ Opponitur doctrinæ quæ licet non sit per Ecclesiam definita nec expresse revelata infertur tamen Communiter à Theologis per discursum ex revelatis; vnde & Conclusio Theologica dicitur, sicq; est virtualiter revelata & proxime accedens ad Fidem nihilq; illi deest vt fiat de fide præter

defi-

definitionem Ecclesiæ, ac proinde quæ illi opponitur proxime accedit ad Hæresim vnde doctrina Erronea & Hæresi proxima coincidunt vg. propositio: Christus non est risibilis, est erronea quia opponitur alteri virtualiter revelatæ & per discursum illatæ isti: Christus est risibilis; exista revelata: Christus est homo *Sapiens Heresim seu suspecta Hæreseos est illa.* Quæ licet aliquo sensu tolerari potest, tamen ex circumstantia Personæ, loci vel temporis adjunctam habet, aliquam suspitionem, apparentiam vel saporem Hæreseos vg. hæc ab Ariano prolata; Christus est creatura, quæ à Catholico prolata Catholica est ab Ariano Arianam sapit hæresim Catholicus intelligit de humana natura Christi, Arianus intelligit de supposito Christi sic & ista. Fides justificat, in ore Pauli Catholica, in ore Lutheri tenentis Fidem sine Charitate justificare est Hæresim sapiens. *Sapiens errorem est*, quæ habet gravem suspicionem & saporem erroris seu quæ cum erronea habet aliquam similitudinem vg. asserendo Christum non esse risibilem. *Temeraria* est quæ sine gravi fundamento impugnat in re gravi Communem Theologorum sententiam, seu quæ nullo Authore fide digno nulláq; probabili Nixa est ratione vg. asserendo Finale mundi judicium post centum annos immediate futurum. *Scandalosa est*, quæ dat occasionem ruinæ Spiritualis inclinando ad peccata vel avertendo à Virtutam exercitio. vg. si quis diceret: plura sequi incommoda ex Jejunijs Ecclesiasticis ex votis peregrinationibus vnde homines redderentur segniores ad jejunandum vovendum &c. *Offensiva pietatis* est quæ pias offendit aures vg. dicendo Magdalena meretrix, Petre perjure orate pro nobis, vel siquis aliquid indecorum diceret de DEO. *Male sonans est*: Quæ sensum habet Fidei congruum, verba autem incongrua, vel quæ habet

duos

duos sensus, vnum Fidei congruum alterum non Congruum, vg. si quis diceret: Pater in Divinis est fons Divinitatis, hæc enim propositio Congruum & Cathotholicum habet sensum si intelligatur quod Pater communicat alijs Personis Divinitatem. Sed incongrua videtur habere verba nec hodie vsurpanda, quia esse fontem, est esse principium, Pater autem non est Principium divinitatis. Vnde licet D. Dyonysius Areopagita his olim fuerit vsus vocibus, eoq; loquendi modo, quando nondum Ecclesia limaverat, certos sibi proprios loquendi modos; quibus ab Hæreticis differret, non ijsdem tamen hodie vti licitum nobis, nec dicendum est absolute quod Pater sit fons Divinitatis, nisi intelligatur quod sit fons communicans Divinitatem alijs Personis sed non gignens Divinitatem. Similiter male sonat hæc prop. In Divinis Pater est causa Filij Nam licet apud Græcos nomine Casæ intelligatur principium, apud latinos verò causa sumitur pro eo, ut produeat aliud à se diversum Numero in Natura quod repugnat Patri in Divinis qui producit Filium, & spirat Spiritum S. ejusdem secum Numero Naturæ & ideo principium seu Origo Personarum & non causa. Sic pariter apud latinos male sonat Pater & Filius & Spiritus S. sunt tres substantiæ, apud Græcos non est male sonans quia Græci per substantiam Personam intelligunt non autem essentiam. *Simplicium seductiva*, est quæ sub specie pietatis vel boni prætextus errorem tegens, apta est simplices fidelium mentes seducere, sicut Olim Ariani seduxere Catholicos, dum in Ariminensi Concilio induxerunt illos sub prætextu Ecclesiæ paris, ad subscribendum suæ perfidæ formulæ Fidej, huic sub hac voce HOMBOUZION: putarunt Catholici bonafide Filium DEI esse Patri consubstantialem & non creaturam absolute, Ariani è contra sub eadem voce vnâ tantum literâ demptâ

Ho-

HOMOUZION suam tegentes Hæresim Filium non consubstantialem, sed similem in substantia & vere esse creaturam; Quo Arianorum offendiculo seducti sunt Orthodoxi Ariminensis Concilij Patres & cum illis deceptus totus orbis, Arianum se esse miratus est. *Schismatica* est quæ pandit viam ad seditionem & scissionem Corporis Christi, Mystici scil: Ecclesiæ, retrahendo Fideles ab unione vel subordinatione & à debita Obedientia; Qualis in Anglia fuit olim Henrici VIII. fatalis declaratio illa, qua se Anglicanæ Ecclesiæ caput agnosci jussit & ad Romanum Pontificem omnem recursum inhibuit; Hæc prima mali labes & diri Schismatis origo infecit Anglos Scotos Hibernos &c. *Injuriosa* est quæ facit injuriam alicui Personæ vel statui vg. si quis diceret in hac Religione nullum esse Ordinem vel observantiam sed libera cuiq; permissa est vivendi ratio &c. *Impia* & blasphema est quæ est injuriosa DEO vel Deiparæ & Sanctis, detrahendo illis debitas perfectiones, vel indebitos affingendo nævos sive defectus vg. si quis videns bonos à malis opprimi, & malos affluere delicijs divitijs &c. DEUM injustum vocaret, sic blasphemi erant Pharisei dum de Christo dicebant eum in Nomine Beelzebub dæmonia ejcere. Sic blasphemus in Apostolos erat. Quintitinus: dum Paulum vas fractum, Ioannem stolidum esse dicebat. Sic blasphemi sunt Hæretici qui Sanctos regnantes in Cælo negant esse invocandos. *Iudaica est* Quæ Christum seu Messiam nondum venisse sed venturum assereret, vel quæ hodiæ Legis Movzaicæ ritus esse ad salutem necessarios doceret vel quæ Sacras Novi testamenti scripturas reijceret; vel quæ Talmudicas fabulosas laudaret ineptias. *Pagana* est quæ cum Gentilibus plures admittit DEOS, vel quæ Paganicum Admittit ritum si quis diceret, pro frugibus terræ prospere venturis celebranda esse Paganalia

seu

seu Antiqua Paganorum Festa, in quibus Cereri & Telluri certa ferebant munera mense Ian: *Athea* è Contra est: quæ DEUM nullum asserit cum stolido Atheo Ps. Dixit insipiens non est DEUS. Similiter & quælibet negans omnem Religionem negaret eo ipso DEUM cum Religio est Cultus DEO debitus. Qualis secta suborta fuit Amsteerdami sæculo Nostro decimo septimo per Iudæum Spinosam Carthesianæ sectæ Philosophum, qui Iudaica calcata Religione spretisque Rabbinorum monitis Librum Theologico politicum scripsit in quo eò vnicè tendebat, vt Religiones omnes Aboleret, liberum cuiq; vivendi modum permitteret & purum Atheismum insinuaret. *Denicq; una* & eadem propositio interdum talis esse potest ut non vno tantum, sed multiplici oppositionis modo sit Fidei nociva ac proinde multiplici inurenda nota, qualis est hæc Pharizeorum de Christo. *Matt 12.* Hic non eicit dæmones nisi in Belzebub Principe Dæmoniorum. Hæc enim propositio est nedum falsa sed etiam temeraria scandalosa &c. Est falsa quia opponitur veritati, Temeraria quia sine vllo fundamento, scandalosa, quia dat ruinæ Spiritualis Occasionem. Schismatica quia dans locum dividendi se à Christo Blasphema quia Christum Cultorem dæmonis asserit. Hæretica, quia Fidei Catholicæ opposita cum Christus expresse dicat se non in Belzebub sed in Spiritu & Virtute DEI eijcere dæmonia Has ergo & similes, ut Fidei directe vel indirecte nocivas, quia reprobat Ecclesia doctrinas, reprobet quisq; sanæ doctrinæ Theologus, sicq; hoc tuto ubiq; nixus Criterio sive Regula, inoffenso pede omnia revoluet dubia.

Nota 2dò. Ex eodem Annato Dogma Catholicum generice sumptum Nil aliud esse, quam doctrinam Ecclesiæ Catholicæ citra censuram; Quod Dogma est triplex. Imperatum, Liberum, Tolera-

tum

tum; & solum dogma imperatum est Dogma fidei. *Dogma imperatum* est doctrina omnibus proposita cum obligatione credendi, vg Quod DEUS sit vnus in essentia, trinus in Personis *Dogma liberum* est doctrina quæ neq; est de fide, neq; fidei Nociva & est circa illam libera cuiq; in Ecclesia facultas. vg de possibilitate vel impossibilitate mundi ab æterno, de admittenda vel neganda prædeterminatione physica. &c. *Dogma Toleratum* est doctrina quæ neq; est de fide, neq; satis Notorie contra fidem, tanquam hæretica, quià nondum ab Ecclesia damnata vt hæretica, sed tolerata; Qualis fuit olim ante Damasi Papæ tempora doctrina de millenario Christi in terris Regno post resurrectionem & judicium extremum futuro, quam tenuisse dicuntur Iustinus Martyr & Irenæus, tamen ob hoc non dicebantur Hæretici quia hæc opinio nondum erat satis Notoriè contra fidem, quia nondum ab Ecclesia ut hæretica damnata, sed tolerata & talis sententia vocatur Antiquata quæ dum Comperta est esse contra Fidem vel contra aliquod Decretum Pontificum, damnata est ob hanc causam.

Cardenas quoq; in sua Crisi Theologica fol. 440. Notat opinionem speculative probabilem esse illam; quando in speculatione non advertuntur omnes circumstantiæ quæ vitiant actionem, si autem advertantur tunc talis opinio & speculativè & in praxi damnatur estq; improbababilis.

Forma absolutionis ab hæresi.

Postquam hæreticus est sufficienter instructus in articulis fidei, adducatur coram testibus ad aliquod altare, & si sit hæreticus toleratus ut in Germania vel Polonia non fiant aliæ Ceremoniæ verberationis &c. Sed jubeatur facere Professionem fidei sequentem editam à Pio IV.

Ego

Ego N. firma fide credo, & profiteor omnia & singula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum DEUM Patrem Omnipotentem, Factorem Cæli & terræ visibilium omnium & invisibilium. Et in unum Dominum IESUM Christum Filium DEI unigenitum, & ex Patre natum ante omnia sæcula. DEUM de DEO, lumen de lumine, DEUM verum de Deo verò: Genitum non factum consubstantialem Patri per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines & propter Nostram salutem descendit de Cælis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex MARIA Virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in Cælum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria, judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum & vivificantem, qui ex Patre Filioq; procedit. Qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur. Qui locutus est per Prophetas. Et unam Sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum, & expecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi, Amen.

Apostolicas & Ecclesiasticas traditiones; reliquasq; ejusdem Ecclesiæ observationes, & constitutiones firmissimè admitto & amplector. Item Sacram Scripturam juxta eum sensum quem tenuit & tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de verò sensu & interpretatione Sacrum Scripturarum, admitto, nec eam unquam nisi juxta unanimem Patrum consensum accipiam & interpretabor. Profiteor quoq; septem esse vere & proprie Sacramenta novæ legis à IESU Christo Domino Nostro instituta, atq; ad salutem huma-

mani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pænitentiam, extremam unctionem, Ordinem & Matrimonium, illaq; gratiam conferre, & ex his Baptismum, Confirmationem & Ordinem sine sacrilegio reiterari nonposse. Receptos quoq; & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio & admitto. Omnia singula quæ de peccato originali, & de justificatione in Sacro Sancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector & recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo, verum proprium, & propitiatorium Sacrificium pro vivis & defunctis, atq; in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, esse vere realiter & substantialiter Corpus & Sangvinem una cum anima & Divinitate Domini Nostri IESU Christi, fieriq; conversionem totius substantiæ panis in Corpus & totius substantiæ vini in sangvinem, quam conversionem Catholica Ecclesia transsubstantiationem nominat.

Fateor etiam sub altera tantùm specie totum atq; integrum Christum, verumq; Sacramentum sumi. Constanter teneo purgatorium esse, animasq; ibi detentas Suffragijs fidelium juvari, similiter & Sanctos una cum Christo regnantes venerandos atq; invocandos esse, eosq; orationes DEO pro nobis offerre, atq; eorum reliquias esse venerandas.

Firmissime assero imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas & retinendas esse, atq; eis debitum honorem & venerationem impertiendam.

Indulgentiarum etiam potestatem, à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumq; usum Christiano populo maximè salutarem esse affirmo.

Sanctam Catholicam & Apostolicam Romanam Ec-

clesiam, omnium Ecclesiarum Matrem, & Magistram agnosco, & Romanoq; Pontifici B Petri Apostolorum Principis successori, ac IESU Christi Vicario, veram obedientiam spondeo & juro. Cætera item omnia à Sacris Canonibus & Oecumenicis Concilijs, ac præcipuè à Sacrosancta Trydentina Synodo tradita definita & declarata, indubitanter recipio atq; profiteor, simulq; contraria omnia atq; hæreses quascunq; ab Ecclesia damnatas, rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reijcio & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, ac veraciter teneo, eandem integram & inviolatam usq; ad extremum vitæ Spiritum constantissime (DEO adjuvante) retinere & confiteri, atq; à meis subditis, vel illis quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit curaturum. Ego idem N. spondeo, voveo, ac juro, sic me DEUS adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. *Finita Professione Fidei, professus facit confessionem Sacramentalem, & Sacerdos ipsum absolvit formula sequenti.*

Misereatur tui Omnipotens DEUS &c. Indulgentiā absolutionē, & remissionē peccatorū tuorū. &c.

Dominus noster IESVS Christus te absolvat, & ego auctoritate ipsius & Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, necnon Sanctissimi Domini Nostri Papæ N. mihi commissa, & hactenus nondum revocata, absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, quo teneris propter hæresim in qua vixisti, & incorporo te gremio Sanctæ Matris Ecclesiæ, Communioni fideliū & participationi Sacramentorum, ejusdem Sanctæ Romanæ Catholicæ, & veræ Apostolicæ Ecclesiæ; deinde eadem authoritate absolvo te ab omnibus peccatis tuis In Nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti. Amen.

INDEX
Quæstionum, & materiarum controversarum, ac Propositionum damnatarum, *Singulis Capitibus, hujus Operis contentarum.*

PARS I. PROOEMIALIS.

PARS II.
De Modernis Controversijs in particulari.

CA-

PARS IV.

Contra Atheos, Mahometanos, Judæos, & Schismaticos.